


Loreto Compineri

JOANNIS ANTONII
BERNARDI
E SOCIETATE JESU
CARMINA.







BONONIÆ,
Typis FERDINANDI PISARRI.
M. DCC. XV.
Sub Signo D. Antonii. *Superiorum permissu.*

EMINENTISSIMO,

AC REVERENDISSIMO PRINCIPI,

GEORGIO

S. R. E. CARDINALI

CORNELIO,

EPISCOPO PATAVINO &c.



Iquis esset, ut erit facilè inter infensos, aut obnoxios, severioris fortasse vir supercilii, cui vel absurdum videri posset, vel ineptum, hæc a me Carmina, nec opus scilicet auctore Theologo, nec purpurato Principe dignum munus, GEORGIO CAR-

DI-

DINALI CORNELIO *nuncupari ; næ illum ego*, PRINCEPS EMINENTISSIME, *convenire hìc statim vellem, atque in ipso Libri aditu docere palam id a me consultò factum, & tanquam rationem redditurο. Neque ipse me iam defenderem (quod esset unum refellendæ accusationi satis) insignium Poetarum exemplo ; quorum alii magnis sæpe Regibus, summis alii Pontificibus, in iisque regnanti nunc temporis* CLEMENTI XI., *inscripsere versus suos : neque id tamen aut sine laude illis fuit apud alios prudentes viros, aut sine gratia apud ipsos Mæcenates. Mallem enimvero vel sine teste, atque advocato meam unus ipse causam tueri ; arreptisque, ut ita dicam, quibus me Censor paullo religiosior impeteret, in illum telis pugnare. At sanè cum tria ferme sint nomina, quorum uno tantùm, alterove, eru*[illegible]*viri consecratas viris princi*[illegible]*ere solent lucubrationes suas ; patere,* [illegible] *E., ut palam ego hìc ostendam ea simul omnia, quod in hoc genere*

Scri-

Scriptionum rarum est, in rem meam convenire.

Atque, ut ab eo primùm titulo exordiar, quo laborare unicè videri potest causa mea; do quidem ultro, ac profiteor (quod in plerisque tamen haud fieri videmus) eos tantùm viris principibus jure, ac meritò Libros inscribi, in quibus scilicet aut rei argumentum, aut ipse certè dicendi stylus, illorum vel arrideat ingenio, vel officio probetur. At, quid ergo, reponet hìc aliquis statim, tua isthæc Carmina occupatissimo Præsuli; quid amplissimo Cardinali poetici Flores, aliaque id genus, frugis vacua, & inania? Præcipuum videlicet vel in hortis Vaticanis, ut alios omittam minorum Principum, Laurus, Myrtus, Cyparissus, atque adeo Flores ipsi locum habent; neque alia magis de causa, quàm quòd steriles videantur, atque inanes, fortunam domini, liberalitatemque commendant. Prædium omne in spem census excolere, neque aliud inibi, quàm aut fruges, aut vites, aut oleas pa-

ti

ti posse ; ut avari non sit, pauperis est, ac privati. Ut alia Principum conditio ; ita prædiis in ipsis, nedum reliquis in rebus, alia subinde omnia spectanda illis sunt, non ex ingenio tantùm, sed etiam ex officio. Plura nimirum debent aliorum oculis ; quorum judicio plerique divitias Principis, haud pauci virtutes etiam intelligunt. Quare imprudentis ego animi, ac pusilli esse crediderim, eam improbare, quam Principum in hortis manufactam admiramur, amenissimam sterilitatem ; cùm illæ scilicet tot Florum species, tot arborum umbræ, aliæque id genus oculorum deliciæ, quibus alii frequentiùs omnes, quàm Principes ipsi, frui solent, tributa quædam magnæ fortunæ veriùs sint, atque insignia magnificentiæ, quàm aut voluptatis instrumenta, aut monumenta vanitatis. Ergo quî fieri potest, P. E., ut Versus mei eo tibi de nomine minùs arrideant, quo decere videntur maximè magnitudinem tuam : hoc est quòd inanes, ac steriles sint, et Floribus

simi-

ſimiles? Quanquàm quænam, rogo, ſterilitas, aut inanis ſpecies, exprobrari jure poſſit poeticis hiſce Floribus; quos ipſe fortaſſis, ſi materiam in pleriſque ſpectes, atque auctoris animum, haud immeritò voces [a] Fructus honoris, & honeſtatis? *Et ſanè, ut rem ingenuè fatear, cùm humaniores literas tum aliis in locis, tum præſertim in Parmenſi Nobilium Collegio docerem; quod Chriſtiani, ac Religioſi Præceptoris eſt, ſin minùs re ipſa, at voto certè, ac ſtudio præſtiti: ita videlicet adoleſcentulos auditores inſtituens, ut ipſi diſcerent et ab iiſdem preceptis non tam linguæ vitia cavere, quàm vitæ; et exemplis ab iiſdem non minùs mores, quàm verſus componere. Eam ob rem imitari Naturam tunc ſtudui, quæ non hominum tantùm voluptati conſultum voluit in hortis, ſed etiam valetudini; atque adeo, ut gratiora nobis eſſent, quæ ſalubria, ac neceſſaria ſubinde ſunt, amantiſſimæ Parentis in morem* remedia,

§ *quod*

(a) *Eccleſiaſ.* 24.

quod aiebat ille, posuit in Floribus. *Ergo, cùm ingenuos, ac nobiles adolescentes præ manibus haberem, remedia mihi vel in versibus paranda erant adversus illa maximè vitia, in quæ labi exinde pronum ipsis est in lubrico ætatis, ac seculi; cùm extra manum Parentum, atque oculos Præceptorum, videri sibi Quirites jam solent, ac juris sui. Hinc illis Elegiaco versu exaranda proponere, quibus ipsi simul, velut aliud agentes, persuaderentur, nunc exempla Virtutis, nunc hortamenta Conscientiæ, nunc consilia Mortis. Hinc illis fingere Condiscipulum voluptatis amantem, ac desidiæ; quem amicâ ipsi Satyrâ, non intellecto fortasse sibi, opportuno certè documento, ad studia pietatis, ac literarum revocarent. Hinc illis demum meo aliquid de penu subinde legere; quo, velut aliis auditoribus jam parato, ad præcavendas ipsos hortarer, quæ sub honestis nominibus honestati plerunque morum adversantur, molliorem quamdam de speculo concinnitatem;*

libe-

liberiorem carminum, ac picturarum elegantiam: et eam maximè, peregrinam olim, monstrique loco apud nos habitam, agendi simul, versandique liberaliorem (ne quid aliud dicam) humanitatem; quæ apud urbes Italiæ plures adeo jam, blandissimæ instar pestis, invaluit; ut, (quod præposterum, eòque dolendum magis calamitatis genus est) nec malum jam ferre possint, qui sani sunt, nec ægri remedium. Video quidem, P. E., nihil ferme medicinæ meis ab hisce Carminibus sperari posse adversus vitia tam multis placentia, et quibus paria vix sint remedia longè graviora. Sed morbi nimirum quidam sunt, quos, ut ne ferro quidem, aut igne curamus, vetustos jam, ac latiùs serpentes; ita herbis plerunque, ac floribus vel accedentes tantùm prohibemus, vel novos adhuc, et incipientes excludimus. Et sanè, si plures hodieque Vates carminibus suis, tanquam infectis veneno floribus, adolescentum mores, animosque corrumpunt; et, quod meritò conquerebatur, sa-

§ 2 pien-

pientissimus idem Pontifex, ac Poeta, URBANUS VIII.,

(a) Cultores addunt Veneri, pubemque pudicam
Dedecorum satagunt commaculare notis:

quidnì mentibus aut intactis adhuc, aut peste illa vixdum afflatis; quanquam naturà infirmitatis humanæ præsentiora venena sint, quàm remedia, afferre possint nonnihil pharmaci, ut aiebat Pontifex idem,

(b) Carmina, quæ Juvenes fœdis affectibus arcent,
Et rectis monitis almæ pietatis amore
Accendunt?

Quod si eam tamen, quam honestas argumenti promittere videtur, utilitatem morum qualemcunque successus eludat; num eo tandem loco prudentissimos apud Præsules Latina per se Poesis habenda est, quo alia Prin-

(a) *Eleg. prima.*
(b) *Carmine ad* ANTONIUM BARBERINUM *Fratris* CAROLI *filium, mox Cardinalem.*

Principum in aulis plura, quæ, cùm neque animos per se ipsa ornent, neque moribus inserviant, supervacanea videri possent, atque inania, nisi essent extrinseca quædam fortunæ signa, et decora dignitatis? Sua per me sanè Literatorum cuique sententia sit; quanquam (quæ natura hominis, ac superbia fortassis est) haud paucos ego subinde videam, qui, ut ea scilicet, quibus instructi sibi ipsi videntur, plurimi faciunt, admiranturque, etsi literariæ Reipublicæ nihil admodum, aut vix profutura: ita facilè contemnunt in aliis, quæ ipsi non habent. Tuum hìc ego, P. E., judicium testor, quod unum mihi, ut in cæteris omnibus, instar concilii, ac propè Senatus est. Quàm porrò; ut alia plura, quæ in rem meam ipse sufficis, argumenta prætercam, iis omnibus, qui futuros in Ecclesiæ ministros tam sanctè, sapienterque tuo isto in Seminario instituuntur, notionem, atque usum Latinæ linguę, accuratam veterum Historicorum, ac Poetarum lectionem, humaniorum denique litera-

terarum ſtudia , nedum altiorum facultatum , commendatiſſima facis ! Quam ea omnia cumulatiſſimè illis præſtas, quibus uti ſi velint , non tantùm diſcere facilè poſſint, quę docentur, ſed in illis etiam excellere! Ut ipſa eorum ſtudia ſubinde erigis, atque accendis conſpectu , et alloquio tuo! Ut frequens ab illis, ac ſolicitus rationem exigis, nunc Patroni vultu , nunc Cenſoris; et quidem quem probè intelligant nec judicio falli poſſe , nec gratiâ expugnari! Inde potiſſimùm fieri crediderim, ut, præter alia bene multa Eccleſiæ tuę commoda, plurimum accedat emolumenti literarię Reipublicę univerſę; cui videlicet ex eodem iſto Seminario non tam emendatiores prodeunt , venuſtioreſque veteris Latii Scriptores, quàm novi ſubinde, iique germani prorſus , imitatores ipſorum , & tanquam diſcipuli ab illis recentes. Quare, ſi aliud nullum mihi nomen fuiſſet, cur inſcriberem tuo Nomine, conſecraremque Poeſim hanc meam; hoc unum ſcilicet , P. E., quòd

Poe-

Poesis, quòd honesta, quòd Latina est; satis esse, superque poterat, non id modò prudenter ut possem, verùm etiam ut jure deberem.

At, hoc ipsum præterea ut auderem, ego, alterum mihi, idque longè validius, nomen persuadebat, P. E.; hoc est amor patrocinii tui. Huc demum spectare plerique Scriptorum solent, dum Libros de re qualibet suos viris principibus inscribunt: ut illis nimirum sub umbra, vel in luce veriùs magni nominis, præsidium, uti dicitur, accedat, & decus. Neque id verò, ut videri fortasse possit, aut inanis gloriæ amor est, aut genus quodam ambitionis. Mitto receptum passim sapientissimos apud viros morem hunc esse; quorum exemplum qui sequatur, laudari scilicet magis debeat, quàm excusari. Sanè, si Parentibus honestum est Liberos suos Potentiorum patrocinio commendare; quidnì Scriptoribus liceat patronos adhibere Librorum suorum, quos

vi-

videlicet, ut mentis[a] *partus, ac judicii, nec mensium jam, sed annorum sæpe novem studio, ac labore formatos, potiori longè jure vocare possunt filios suos? Quod si patronos eò majores, gravioresque constituere filiis Parentes solent, quo minores illi vel ætate, vel mente sunt, atque adeo periculis pluribus obnoxii: quisnam porrò, quantusque mihi quærendus erat meorum Carminum Mæcenas; quorum pleraque, inter tenebras jamdiu neglecta, auctoremque adhuc juvenem referentia, maluissem enimvero, nisi alieno consilio uterer, meo ipse damnare judicio, quàm publico exponere? At quem ego alium, præter unum te, P. E., ut diu, multùmque magnam Italiæ partem perlustrâssem, invenire tandem poteram, in quo vel a Natura, vel a Fortuna, vel a Virtute plura mihi parata præsidia essent; ut ea certè de causa videri possit in hac editione meorum Carminum, non tam mihi timendum il-*

lo-

(a) Libri sunt filii animorum. *Clem. Alex. Strom. lib.*

lorum periculo, quàm gratulandum? Prȩtereo CORNELIÆ GENTIS, *tum in Romana, tum in Veneta Republica, notissimam nobilitatem; eiusdemque celeberrimas & Regnorum administrationes, & cum Regibus affinitates. Omitto viros in omni ætate quamplurimos, tum belli, tum pacis artibus, tum Christianis maximè virtutibus insignes; nec Familiæ solùm, sed etiam Patriæ, sed Religionis etiam, grande incrementum. Ut nonnulla tantùm ætati nostræ propiora vel obiter attingam; quot ex una, quæso, eademque Domo, P. E., prodierunt* [a] SERENISSIMI DUCES; *eosque non dignos solùm eligente Republica, sed invitos etiam aliquando, propè cogente? Quot habuit Ecclesia* CARDINALES [b] AMPLISSIMOS; & *quos ipsa plerunque dignitas emeritos quȩreret, amissos nunquam non doleret? Quot exceperunt urbes Italiæ plures, &*

§§ *in*

(a) *Duces quatuor; & in his* Proavus, Avus, & Frater *EMINENTISS. MÆCENATIS.*

(b) *Cardinales octo.*

in his maximè Patavina Civitas, [a] PRÆSULES PRÆSTANTISSIMOS; *quippe qui apud illas solo* CORNELIORUM *nomine magnum sui desiderium facerent, virtutibus, ac benefactis longè majus relinquerent? Hæc porrò tot, ac tanta, P. E., Majorum tuorum decora, neque in homines solùm sui temporis, sed in futuros etiam merita singularia, dignitatis tibi plurimum, auctoritatisque in rem meam afferre possent; quanquam ab illis ipse (quod in Principum, Heroumque Nepotibus haud rarum est) aut animo, aut ingenio degenerares. Et sanè, si inanimes ipsas insignium virorum, ac mutas imagines suspicere nobis, ac venerari mos est, quanquam dissimiles plerunque, ac vetustate deformes; neque enim in ipsis, quid ipsæ sint, sed nobis quos referant, contemplamur: quantò æquiùs fieri id debeat adversus illorum Posteros, quamvis degeneres, ac minores; quippe quos, ut ex-*

(a) *Episcopi duplo plures.*

expressas non ab arte, sed a natura, sibique traditas, imagines sui, non tam hæredes constituerunt ipsi fortunarum suarum, quàm nominum, ac meritorum? Sed videlicet neque in Patria, neque in Ecclesia, neque in Orbe terrarum, hac eges ipse, P. E., commendatione Majorum. Crediderim veriùs gratulari sibi ipsos e Cœlo Nepotem tantum: dumque mores in te suos contemplantur, dum præterita facta, ac præsentia studia tua solertiùs expendunt; exultare quodammodo, vel quòd ipsi vincantur, vel quòd in omnibus certè spectare te sibi liceat & Majoribus dignum, & Posteris monstrandum. Quid ego hìc referam, P. E., quantum de te Patriæ, in administranda Republica, juvenis adhuc non promitteres modò, sed etiam ostenderes: ut exinde, ipso Romam te ultro vocante prudentissimo ALEXANDRO VIII., *vix primo tui conspectu oculos omnium, atque animos impleveris: ut magnis statim Magistratibus,*

ac Legationibus jam maturus, duorum de te Pontificum judicio, ac voto cumulatè responderis: quæ in Umbria, quæ in Piceno, quæ in Æmilia, vigilantiæ, ac providentiæ exempla reliqueris: quæ in Lusitania fortitudinis, ac prudentiæ præconia retuleris: ut, quadam demum meritorum veriùs, quàm honorum festinatione, eodem ferme tempore venientes ultro, ut ita dicam, optantesque, & Vaticanam Purpuram, & Patavinas Infulas acceperis? Hæc tamen omnia, P. E., ut magna per se ipsa sint, & quæ gloria præcipua alterius cujusque, ac summum decus esse possent; experimenta veluti quædam fuerunt virtutum tuarum, & quod dici vulgò solet, iter Achillis. *Quodsi in ipso Dignitatis, atque Officii merito adeo emines aliis, atque excellis; quantò sanè te ipso majorem longè suspicerem, si usum ego utriusque, administrationemque accuratiùs expenderem? Nihil ferme, ut ita dicam, prædicari de te potest, P. E.,*

quod

quod non omnium istic in ore fuerit; quod non alibi in aures propè omnium pervenerit. Videor tamen audire mihi vel longè loquentem Urbem istam, Patriam meam: Tuum, inquit, Mæcenatem ut probè noscas; meos oculos interroga, mea per ipsum nova decora recense, felicitatem in illo meam contemplare. Quæ mens illi fortunâ suâ major; neque administrandæ Ecclesiæ huic tantùm, sed Romanæ etiam par! Quod illi pectus magnis idoneum & negotiis conficiendis, & difficultatibus superandis; idemque, quod longè majus est, adversus æquitatem non alieno solùm favori inexpugnabile, sed etiam suo! Quàm assiduum in illo, latèque extensum, Divinæ gloriæ studium! Quam oculata, nec odiosa tamen, Ecclesiastici juris cura! Quàm intenta commissi sibi gregis, ac paterna planè solicitudo! Neque affectibus, ac studiis hisce, aliorum tantùm manus, ac labores impendit; suam ipse vix mentem, atque auctoritatem.

Prior

Prior ipse verius manum operi subinde admovet ; nec consilio solùm , aut præsidio laborantibus adest , verùm etiam exemplo . Quoties rudibus pueris , ac plebi ultimæ Christianam ipse Catechesim exposuit , laboris nescius , ac tędii ? Quoties , ad ægrotos cùm deferretur vel summo manè , vel meridiano etiam tempore , augustissimum Eucharistiæ Sacramentum , comitantibus ipse se addidit , tanquam alterum illorum ; nisi quòd omnibus pietate , ac religione præcelleret ? Quoties fuit illi , tanquam animi relaxatio , ac laboris remissio , publica invisere nosocomia ; privatas ædes ægrotantium subire , & in his maximè quos humilitas tantùm , atque egestas commendabant : ut ea de causa suam ipsi sibi calamitatem gratularentur , quæ tantæ locum beneficentiæ , atque humanitati fecisset ? Quid eos recenseam Apostolicos planè labores , quos exantlare non tam necesse , quàm jucùndum illi est , dum suam ipse omni ex parte , eamque amplissimam , Diœcesim

per-

perlustrat? Ut moræ nihil, nedum metùs iniiciunt illi nunc abrupta montium, nunc vallium declivia! Ut Soles æquè, atque imbres, sua quodammodo caritate protectus, non tam sustinet libens, quàm eludit! Ut, alienis maximè periculis timens, sua ipse vel dissimulat prudens, vel securus contemnit! Ad hæc accedit, quòd in aliorum exemplar suam ipse antè Aulam, quàm Diœcesim, composuit: quòd in tanta salutis animarum cura quammaximè fovet studia literarum: quòd Egentium Pater æquè audit, ac Literatorum Patronus. Ipsa in illo virtutis, ac dignitatis decora (quæ rara Principum, ac Presulum gloria) extra invidiam videntur esse, atque censuram. Adeo eminent in ipso auctoritas, nec eadem gravior; humanitas, nec indulgentior; pietas, at sine fuco; liberalitas, at sine strepitu; prudentia ipsa, ut falli nescia, nec indigens fraudibus, ita securior, & sine anfractibus: Egregium enimvero Ecclesiastici verè Principis, ac

Pa-

Patris temperamentum ; cùm ſeiunctis , quę irrepere ſubinde ſolent , affinibus vitiis, ſolæ,[a] *quod aiebat ille*, virtutes miſceantur. *His porrò , aliiſque vocibus , tuas longè , latèque laudes ferentibus , hortari me ipſa videtur Patria mea , ut Poeſim hanc confidentiùs tibi ſiſtam , nec deterritam magnitudine fortunæ tuæ , nec ſuę tenuitate dejectam : quando neque aliud tibi præſtat altera , quàm prodeſſe faciliùs ut poſſis ; neque aliud altera , quàm libentiùs ut velis . Quì ergo impetrare a me poſſim , P. E. , ut paratum jam Carminibus meis præſidium , ac decus tantum , nec Patriæ meę credulus ſperare audeam ; nec adſciſcere contendam humanitatis ſecurus tuę ? Hac veriùs de cauſa tuos ſub oculos venire geſtiunt & Opuſcula quædam mea antehac edita ; tanquam inſcriptę tibi uni Poeſeos appendix non improbanda . Quidnì enim (ita me alloqui videntur ipſa) & nos , inſignium Equitum judicio ,*

ac

(a) *Tacit. Hiſt. lib.* 2.

ac patrocinio iam probata. EMINENTISSIMI PRINCIPIS *sin minùs præsidium, atque ornamentum, at vultum certè, atque judicium mereamur? Cur non eiundem & nos cum Carminibus ipsis, ut pars Libri aliqua, qui totus illi consecratur, communem habeamus Mæcenatem, quanquam singula seorsim, quasi Libelli totidem, Patrono alteri debita; cùm illa aliquando* [a] *Carmina*, ([b] *ut alia preterea exempla plurima*) *quæ sèjuncta, & veluti per partes, inscripta erant Patronis minoribus, in unum simul omnia volumen collecta vel ipsi Pontifici maximo & nuncupari potuerint, & probari?*

Sed, ut illuc revertar, unde paulisper, nec sine causa, digressus sum, alio tibi de

§§§ nomi-

(a) *Vide Carmina VVallii ALEX. VII. dedicata.*

(b) *Vide Hoffchii, Becani, aliorumque recentiorum plurium Versus; & ex his partem uni Mæcenati clarissimo, partem alteri consecratam. Quod idem simul videre est tum in Georgicis Virgilii, quorum liber primus AUGUSTUM, tertius MÆCENATEM patronum habet; tum in Epigrammatis Martialis, quorum libri aliquot DOMITIANO inscribuntur, alii privatis hominibus &c.*

nomine, P. E., debebatur Poesis hæc mea: & eo quidem non quęsito de industria in spem laudis, aut pręsidii; sed ab ipsa, ut ita dicam, virtute facto, ac prolato legitimum in morem; quodquè idcirco, ut ab illa meritò potest exigi, ita jure debeat a me solui. Eam loquor, ut vides, P. E., Virtutem, cujus est acceptis beneficiis pro fortunę modo gratiam referre. Inde fit scilicet, ut suos illis Libros eruditi viri consecrare plerunque soleant, quibus & obstricti tenentur majoribus beneficiis, & nihil habent quò rependere vicem possint, pręter publicam illorum prędicationem. Neque ea porrò grati animi significatio, (absit verbo invidia) ut minimi constare apud imperitos videatur, minimi habenda est apud viros sapientes: tum quòd esse gratum cùm fortunę non sit, sed virtutis, ad hanc potiùs, quàm ad illam, confugiendum illi est, qui gratissimus esse velit: tum quòd ipsi viri Principes, quorum est Literatis hominibus fortunam facere,

cere,

cere, non illorum fortunæ indigent, ut sibi gratia referatur, sed eloquentiæ: tum, quod ille demum, sapientiorum judicio, gratissimus haberi meritò possit, qui, Eruditorum more, accepta beneficia non solùm meminit, ac fatetur ultro, sed etiam literis, ac typis mandat; atque adeo, vel ultra mortem gratus, in omnium oculis seculorum & vultum debitoris gerit, & animum testatur. Ut ut tamen ea se res habeat, cuinam ego potiori jure, P. E., Poesim hanc meam consecrare debueram, grati animi monumentum qualecunque; quàm cui scilicet (ut omittam etiam privata quædam beneficia tua, quæ sanè & ego sentio, & ipse intelligis) tantum & re ipsa debeo, & debere me planè fateor, tum Patriæ meæ nomine, tum præsertim nomine SOCIETATIS JESU, *hoc est, ut ingenuè loquar, Parentis meæ? Habet illa quidem, nulli fortassis Italiæ Urbium in hoc secunda, viros plures, quà ingenio, quà eloquentiâ, ac doctrinâ, longè præstan-*

 tis-

tissimos; quorum ore nimirum, & calamo, collata sibi a te beneficia et recenseat distinctiùs, & facundiùs exponat. At non ideo aut absolvor ego ab exequendo, quod officii mei est, aut deterreor; quin ad illud excitor veriùs aliorum exemplo, atque impellor. Quare, cùm absens jamdiu, ac minùs eloquens, efficere non possim, ut.[a] sim pars turbæ, *quod aiebat Vates*, parva canentis idem; *quid aliud tandem superest mihi, nisi ut eadem beneficia utcunque hìc recinam, P. E., communis istic de te*[b] vocis *non jam transiens* imago, & jocosa, *ut canebat Vates alter, sed cordata prorsus, atque mansura? At quæ vox mihi satis esse possit, ut eam vel obiter commendem, P. E., qua Societatem nostram prosequeris, benignitatem, ac benevolentiam planè singularem; quanquam &* Serenissimo *cum Fratre tuo communis utraque tibi sit, & utrique vestrum clarissimis a Majoribus hæ-*

re-

(a) Ovid. (b) Horat. Lib. 1. od. 12.

reditaria? Tuæ sanè nihil inde decedit beneficentiæ; nostræ plurimum accedit & gloriæ. Atque utinam, quos a senioribus ipse nostris jam didici, optimè meritos de Societate universa Maiores tuos tam facile mihi esset hic celebrare, quàm dulce est meminisse! Unum ex omnibus præterire mihi sine piaculo non licet, & impressum altiùs pectoribus nostris, & Annalibus nostris nunquam tacendum. Avum tuum loquor, P. E., FRANCISCUM CORNELIUM, JOANNIS DUCIS SERENISSIMI FILIUM, DUCEM *& ipsum* SERENISSIMUM: *quanquam, ut eximiæ vir prudentiæ, germanæque in Patriam caritatis, nihil unquam, quod illa sibi domi, fortisque commiserit, aut Magistratuum, aut Legationum, aut laborum recusavit; ita, quæ erat in ipso non moralis tantùm, atque humana quædam moderatio animi, sed Christiana etiam, ut dicimus, humilitas, nihil ægriùs fortasse tulerit in omni vita, quàm Principatum. Quanti porrò Heros tantus faceret*

ceret pro ſapientia ſua inſtitutam ab Ignatio Societatem ; quantùm pro benevolentia ſua non amaret ipſe ſolùm , ſed apud alios etiam & probaret , & defenderet : ut omittam argumenta cætera , quæ neque loci , neque temporis huius eſt recenſere , voces illæ de nobis ultimæ teſtari poſſunt , quibus morti jam proximus , ac prioris vitæ judicium retinens , vir integerrimus , tum Amicis , & Conſanguineis , tum Filiis præſertim , totique CORNELIÆ *Domui , amorem* SOCIETATIS JESU , *ac patrocinium commendavit. Neque vanam ſanè commendationem fuiſſe feliciſſimus nobis eventus probavit : ſeu quòd affectus Principis , ac Parentis , ut virtutes ferme reliquæ , ipſos in Filios , & Conſanguineos tranſiverint : ſeu quòd ille apud Superos , ut fas eſt credere , immortalis exoraverit , quod Poſteris ſuis moriturus commendaverat. Ipſa certè Societas , quod timere maximè poterat , nec Patronum tanto in Principe , nec Parentem defuiſſe ſibi ſenſit ;*

ſit;

sit ; quando utrumque paucis pòst mensibus experta abundè est tum in illius Fratre FEDERICO CARDINALE AMPLISSIMO, *eodemque antea* PATAVINO EPISCOPO; *tum maximè in illius Filio* GEORGIO, ANTISTITE *&* *ipso* PATAVINO. *An utrumque Societas eadem nunc sentiat, sibique maximè gratuletur, in utroque magni* FRANCISCI *Nepote*, JOANNE *scilicet, ac* GEORGIO, *Reipublicæ altero* SERENISSIMÆ PRINCIPE, CARDINALE *altero, atque Ecclesiæ* PATAVINÆ PRESULE ; *neque obiter dicere possum, ne ingrati simus ; neque prolixiùs dicere debeo, ne gloriosi videamur. Ipse mihi obstare vidèris, P. E., beneficentiæ tuæ laudibus ; quippe quæ innatum sibi quodammodo, propriumque habet, ut collatis ultro beneficiis optantium preces, ac spes prævertere ; ita gratulari sibi postmodum, quòd accepta sentiant illi magis, quàm ostendant. At verò, tuis ut per te liceat, P. E., haud licet sanè (pace dixerim tua) Fratris etiam* SERENISSIMI

lau-

laudibus intercedere ; cuius illa , Principe verè digna , frequens in ore , ac veluti domestica vox est : Omnibus benefacere . *Neque hæc in illo , ut in pluribus , aut officii veriùs vox est , quàm animi ; aut animi quidem , sed fallentis humaniter , & benefici laudem sine pretio captantis . Tam eminebant in ipso scilicet privato adhuc (si tamen privatus unquam fuisse dicendus est , quem domi , forisque Magistratibus præcipuis exercitum , bonoque publico laborantem nunquam non vidimus) tam , inquam , in ipso eminebant , idque in oculis solertissimæ Urbis , ac falli nesciæ , beneficentia , atque humanitas , quàm æquitas , ac prudentia , virtutesque reliquæ : quarum , cæteras ut laudes sileam , & , ut præmium , nil tale cogitanti Respublica detulit , & , ut officium , administrat nunc ipse Principatum . Sed , ut hominum genus ferme nullum humanissimum sibi , ac benevolentissimum Principem non fateatur ; id sanè multis , ac*

præ-

præcipuis nominibus & fatetur ultro Societas hæc nostra, & verò fateri etiam debet. Dicam paucis, si per te mihi licet, P. E., quantum illi debeamus. Quantum videlicet Tibi. Ut diu, multùmque patrocinium erga nos, amoremque utriusque Fratris expendamus; fateri cogimur, quòd uterque vincitur, quòd vincit uterque. Hoc idem fermè de vobis fateatur necesse est, quisquis expendere naturæ decora in utroque, ac virtutis velit, atque alterum alteri comparare. Nimirum, ut studiosiùs contempletur utrumque, neutrum alteri præferet, quin statim posthabeat; neutrum alteri posthabebit, quin statim anteponat. Ita demum rem esse de vobis concludet: si alia spectentur, similes prorsus sunt: dissimiles fortassis, si alia: si omnia simul, æquales. OPTIMI *in altero videre est exemplar* PRINCIPIS; CARDINALIS *in altero, atque*

ANTISTITIS. *Sed, ut redeam ad vestrum erga nos, Majorumque vestrorum patrocinium, plurimi quidem in illo, ut par est, affectum facimus; at multò tamen pluris judicium. Neque id nobis in causa est, quanquam & hoc ipsum sit, quod vir prudens* [a] nullius putet expetendum esse beneficium, cujus vile judicium est; *sed illud præcipuè, quòd vel ipsi sapientissimorum virorum beneficio ipsorum judicium sit præferendum. Inde fit jure, ac meritò, nì fallor, quòd, ut obligemur maximè beneficio vestro, judicio tamen gloriamur magis: quippe alterum accipere possumus, donantibus vobis; non possumus a vobis alterum, nisi mereri: in illo felices idcirco, quòd liberalitatem vestram experimur; in hoc longè feliciores, quòd sapientiæ vestrę (liceat id mihi dicere)*

(a) *Sen. de Benef. lib. 1.*

cere) probamur . Ut de te uno loquar, P. E., idque vel extra rem nostram, apud illum certè, quicunque te probè noverit, necesse est, nisi sit ipse imprudens prorsus, & magnæ momentum rationis judicium tuum sit, & patrocinium tuum bonæ causæ argumentum. Hoc unum mihi dixisse sit satis, ne, quantum tibi vel hoc de nomine debeamus, aut negligere videar, aut oblivisci; cùm id nimirum latiùs ostendere, ac dilucidiùs, aut invidiosum mihi futurum sit, ut qui prædicare laudes nostras obliquiùs velim, aut molestum tibi certè, ut qui tuas veriùs expectare jam possis.

Ergò, ut omnia tandem paucis complectar, cui non facile videre sit, non alteri fortassis potiori jure, quàm uni Tibi, aut inscribendam fuisse, aut commendandam Poesim hanc meam; cùm & argumenta Carminum pleraque pro-

bari meritò possint dignitati, ac pietati tuæ; et tua illis magnitudo, atque humanitas paratum jam ultro Mecenatem exhibeant; & ab Auctore ipso, tum Patriæ suæ nomine, tum præsertim SOCIETATIS JESU, *Tibi scilicet de utraque optimè merito grati animi monumentum aliquod debeatur. Utinam ætate hac jam virili, &, quibus totus nunc detineor, virilibus studiis, dignum opus aliquod liceret mihi & typis parare, & tuo Nomine inscribere! At, quando neutrum impetrare valeo vel ab ingenio, quod sanè video, quàm sit exiguum; vel ab officio, a quo tempus mihi supereſt propè nullum: quid aliud Tibi meum offerre jam vir possum, quàm juventutem; quid aliud jam Theologus, quàm Poesim? Ut alia bene multa non desint mihi tum domestica exempla, tum etiam externa, satis unus tueri me poteſt, Scriptor suo tempore*

pore insignis, Baptista Mantuanus; *qui Eclogas suas Theologus jam emeritus edidit : hoc est suam, ut ait ipse,* [a] *jam* senex adolescentiam. *Quanquam, ut verum fatear, auctoritate magis Præsidum meorum, quàm aliorum Scriptorum exemplo, persuasum mihi est, ut juveniles Versus nunc typis mandarem : idque viros prudentes eò majori fortasse laudi daturos Poetæ crediderim, quò minorem Versus ipsi mereantur. At, qualiscunque demum Poesim hanc, ejusque Auctorem, fortuna apud alios maneat, (etsi utrique propitia tuis ab auspiciis sperari facilè possit) consequutum jam me, quod optabam maxime, gratulari mihi jure debeo; cui nimirum jam licet obsequentissimi tibi pectoris anathèma hoc ita cæteris omnibus spectandum exponere, ut in illo ipse,*

pro

(a) *Pref. in Eclogas ad* Paridem Cæresarium.

pro humanitate, ac ſapientia tua, & opus excuſes, & animum interpreteris.

EMINENTIÆ TUÆ REVERENDISSIMÆ

Humillimus, Obſequentiſs., Addictiſs. Servus,
Joannes Antonius Bernardi e *Societate JESU.*

GABRIEL MARIA DE GRASSIS

SOCIETATIS JESU,

In Provincia Veneta Prępositus Provincialis.

CUM Librum, cui titulus eſt: *Joannis Antonii Bernardi e Societate Jeſu Carmina*, aliquot ejuſdem Societatis Religioſi recognoverint, & in lucem edi poſse probaverint; poteſtate nobis a R.P. Noſtro Michaele Angelo Tamburino Prepoſito Generali ad id tradita, facultatem concedimus, ut typis mandetur, ſi ita iis, ad quos pertinet, videbitur. Cujus rei gratia has literas manu noſtra ſubſcriptas, Sigilloque noſtro munitas dedimus.

Bononiæ 11. Januarii 1715.

Gabriel Maria de Graſſis.

Vidit

Vidit D. *Franciscus Aloysius Barelli Barnabita Cler. Reg. Cong. S. Pauli, Sanctissimę Inquisitionis Consultor, & in Ecclesia Metropolitana Bononiæ Pœnit., pro Eminentissimo, & Reverendissimo D. D. Cardinali Jacobo Boncompagno Archiepiscopo, & Principe S. R. I.*

Ad Excellentiss. D. Doct. Cæsium, qui pro S. O. videat, & referat.

Fr. Jo. Victorius Maßa Vicarius S. O. *Bononiæ.*

Adsum, quamvis pauculos post dies, hocce cum Volumine inscripto -- Joannis-antonii Bernardi è Societate JESU Carmina -- *relaturus, in executionem veneratissimæ jussionis huic Sancto Tribunali, me diligenter Illud percurrisse, in eoque Catholicam contra Fidem, Principes, aut bonos mores nihil deprehendisse; quin totum amœnioris literaturæ modulamine Admodum Rev. Patris Sac. Theologiæ Lectoris, undequaque celebris, Authoris sui, sive Christum Dominum, Deiparam, ac Cœlites prosequatur; ad Virtutes sive capessendas, aut firmandas, monita concinat, maximè profuturum jucundissimè censui: quare, ne diutiùs publica Typorum luce destituatur, celeriori qua valui promptitudine, extra privatos lares hisce in votis humillimè perfero* Non. *Maji* M. DCC. XV.

Ego Bartholomæus Cesi J.U.D. Collegiatus, Protonotarius Apostolicus, S. Petronii Archipresbyter, & Canonicus, Sanctissimæ Inquisitionis Consultor, Examinator Synodalis m. p.

Stante predicta Attestatione IMPRIMATUR.

Fr. Jo. Victorius Maßa Ordinis Prædicatorum Sac. Theol. Magister, & Vicarius S. *Officii Bononiæ.*

ELE-

ELEGIARUM

LIBRI DUO.

ELEGIARUM
LIBER PRIOR.



Cur Auctor, quo tempore severioribus studiis maximè detinetur, qualemcunque suorum Carminum editionem paraverit.

Ad. R. P. ANTONIUM FRANCISCUM BELLATI
Societatis Jesu.



ELEGIA.

PUblicus hæc habeat per me sibi Carmina Lector;
 Carmina si tamen hæc qui legat, ullus erit.
Ipsa quidem mallent, quo tutiùs antè latebant,
 Illo nunc etiam posse latere loco.
Quippe novi, ambitiosa licèt, tamen anxia fati,
 Id modò, quod forsan spes fuit antè, timent.
Et meritò timeant; quid enim, placuisse tot inter
 Quod possit vates temporis hujus, habent?
Indiga sunt cultûs, et adhuc poscentia limam;
 Nec tamen, ut placeant, est, puto, lima satis.
Pleraque jam cecini, dum nondum fortior ætas,
 Mensque, boni tantùm spes mihi vatis erant.
Tunc quoque nec Phœbus semper, nec tempus amicum;
 Raucaque sæpe mihi voxque, chelysque fuit.

Quid quòd mox Pindum (duo sunt propè lustra) reliqui;
Nec libet huc iterum, nec vacat ire mihi.
Forsitan et pudeat; quid enim iuvenilia posſim
Carmina nunc tetricos inter amare Sophos?
Illorum quis, me Phœbo, Musisque vacantem
Si videat, risum continuisse queat?
Illorum quis non meritò simul arguat; ægra
Mente tamen nî me desipuisse putet?
Rideat hirsutum nunc carmina nostra Lyceum,
Rideat Aonium dogmata nostra nemus.
Ipse inter lepidos dicar Sophus esse Poetas,
Inter divinos esse Poeta Sophos.
Ergo quî possim dubio nunc mittere prælo
Carmina, jam longo penè sepulta situ?
An non ipsa suas optent nunc temporis umbras
Tutiùs, haud aliis, haud mihi nota satis?
Hæc mecum toties, hæc sæpe loquebar amicis;
Vana tamen surdis verba fuere notis.
Nempe diù, vates aliquis cùm credar ab illis,
Haud meriti pœnas nominis ipse luo.
Jam colles Cyrrhæ notos, et amica revisam
Dulcis Permessi numina, sæpe monent.
Sæpe monent, aliquid promissi carminis edam
Jam tandem; timidas increpitantque moras.
Plurima quæ contrà prætendo, ut inania rident;
Seque putant verbis solvere posse tribus.
Nil operis cudisse novi vacet: ipsa juventæ
Carmina sat dignum, si poliantur, opus.
Nec Sophiæ demam sua tempora: siqua superſit,
(Et quota non superest?) hæc satis hora mihi.
Hæc illi; tanquam in loculis prurigo canendi
Sit mihi, et ad nutum carmina semper eant.

Tu

Tu quoque (num ſimulas? Ah! Phœbi numina teſtor,
Et majus numen, Teque, tuamque Fidem)
Tu quoque, nec ſimulas, BELLATI, ſæpe dediſti
Conſilium, in dubiis dux mihi rebus, idem.
Utque tibi felix juveni jam riſit Apollo,
Et poteras Vates inter habere locum:
Utque tibi nunc eſt dicendi gratia felix,
Et potes eloquio flectere corda tuo:
Plurima dixiſti, quæ me quoque vincere poſſent;
Et media victus plùs propè parte fui.
Cùm tamen obſtarem, nec jam ſuperabilis eſſem
Totus adhuc; vires nam mihi cauſa dabat:
En ſubitò causâ cecidi: tibi cedere cogor
Judicioque tuo, judicioque meo.
Scilicet ille, mihi cujus ſacra quælibet inſtar
Præcepti vox eſt, juſſaque numen habent:
Ille tuis favet, et paucis mea dicta refellit:
Publica lux habeat carmina noſtra, cupit.
Et cupit, et poſcit; neque enim jubet: hoc tamen ipſo
Quòd cupit, et poſcit, mitiùs ille jubet.
Quid faciam? Hìc tandem me vinci nolle ſuperbum eſt.
Jam tibi, jam reliquis, plaudite, victus eo.
En tibi, quæ poſcor, quamvis pars maxima deſit,
Carmina: tu meritò qualiacunque fove.
Ut culpent alii (nam plurima certus in illis,
Quæ meritò culpent, invenienda reor)
Te tamen, et notos comites decet illa tueri,
Viſa quibus pridem digna fuere legi.
Sed tamen; ut rigidus maneat mea carmina Lector,
Ut maneat nullus, nil doluiſſe velim.
Nam quid ego doleam vobis placuiſſe Poetam,
Hos aliis verſus non placuiſſe meos?

Ex occasione eruditæ cujusdam Litis

DE VIRGILIO,

ATQUE

OVIDIO:

Uter scilicet a Poetices studiosis præferri alteri debeat,

De Poeta utroque, ex Eruditorum mente, Auctoris judicium; et quàm periculosa Adolescentibus sit Poetarum minùs pudicorum Lectio.

ELEGIA.

PHœbe potens Pindo, Latii duo maxima Pindi
Nomina, Nasonem, Virgiliumque refer.
Ipse refer; neque enim nobis sat notus uterque:
Et, sicui satis est notus uterque, tibi est.
Aspicis, ut geminus longa est discordia Vates:
Ut pars ista suum præferat, illa suum.
Neutra minor pugnâ est: pars utraque cedere nescit;
Utraque, cur meritò vincere possit, habet.
Tu potes invictum prudens absolvere bellum;
Totaque judicio lis dirimenda tuo.
Ergo doce, quæ certa tuæ sententia menti est:
Sitne tibi Naso, Virgiliusne prior.
Ipse tuæ interpres mentis, pacisque sequester,
Nec jam pars, partes conciliantis agam.

Utra-

Utraque, Phœbe, ſuos tibi ſubdit turba, meoque
Jamdudum ſenſus poſcit ab ore tuos.
Nobile par Vatum, quo ſe tulit Itala Cœlo
Gloria, nec quidquam Græcia majus habet!
Nec te Virgilius, credo, minor ibit, Homere;
Et tibi Callimachus, Naſo, ſecundus erit.
Ut tamen expendas Vatem conſultus utrumque;
Hos mage, quàm ſimiles, dixeris eſſe pares.
En tibi Virgilius: nihil eſt prudentius illo.
En alter, quo nil dulcius eſſe poteſt.
Plus huic naturæ forſan, plus artis in illo eſt.
Hunc magis admiror; ſed placet ille magis.
At prior huc noſtro veniat ſub carmine Vates,
Mantua quem genuit, Parthenopeque tegit.
Quàm bene ſylveſtri carmen modulatur avena;
Quoſquè canit mores, ingenioſus habet!
Quàm bene, cura ſolo quæ ſit præſtanda ferendo,
Præcipit; et partes arva colentis agit!
Utque boves, et equos cures: ut alantur in agris,
Nunc docet auctor, oves; nunc docet auctor, apes!
In tenui labor, at tenuis non gloria. Vati
Ruſtica materies nobile præſtat opus.
Nec tantùm quondam trabeato plauſit aratro,
Culta triumphali, Romula Terra, manu;
Ingenio, quantùm, calamoque exculta Maronis,
Plaudit aratori Terra ſuperba ſuo.
Sed propiùs magna ſuperos Æneide tangit.
Hoc ſatis ad laudem grande Maronis opus.
Hìc pius Æneas, flammis jactatus, & undis,
Fert Latio patrios, Dardana ſacra, Lares.
Ut varias peragret terras fortiſſimus heros;
Ut varios caſus, pluraque monſtra ferat:

Et dextrâ mores, et linguâ ſervat eoſdem,
Devotus fatis, Italiæque ſuæ.
Non animos olli frangit Saturnia Juno,
Dardanidas toto perdere certa Jove.
Quin animos addit Genitrix fidiſſima, totum
Dardanidis melior conciliare Jovem.
Nunc mœſtos comites, et ſe ſolatur in illis;
Quoquè tulit, vultu longa perîcla refert.
Nunc, Trojæ infandum renovans narrando dolorem,
Phœniſſæ lacrymas exprimit ipſe ſuis.
Nunc ſibi vim facit; et, melior dux conjuge, præfert
Reginæ precibus conſcia juſſa Deûm.
Nunc hoſti ferus eſt, nunc idem fidus amicis;
Tamque ferox Turno, quàm pius antè Patri.
Conjugio tandem fruitur, regnoque Latino.
Hoc longæ pretium, cauſaque digna viæ.
Quantus in his vates incedit paſſibus æquis!
Ut nunquam minor eſt, diſſimiliſque ſibi!
Talis grandè fluit Padus, aut ingentior Iſter,
Contentus ripis, littoribuſque ſuis.
Nec ſpecies illi, nec abeſt Romana venuſtas;
Et quidquid pro re pectora tangat, adeſt.
Ipſa trahit ſimiles prudens ſententia voces;
Verbaque, quod deceat, ſingula pondus habent.
Si tamen, abſolvit quæ non manus ultima Vatis,
Quæquè minùs placeant, carmina pauca legam;
Non ego, quæ plures fingunt, myſteria credam,
Ingenio nunquam percipienda meo.
An ſcelus eſt, ſi fortè ſuos, ratione magiſtra,
Et magnis nævos vatibus eſſe putem?
Quamvis nil Phœbo, quamvis nil pulchrius Aſtris;
Sunt Aſtris labes, ſunt tibi, Phœbe, tuæ.
Ipſe

Ipſe etiam quandoque bonus dormitat Homerus;
Nec magno tamen eſt ille Marone minor.
Quis non Virgilium libro reprêndat in uno;
Quamvis hac felix parte poeta fuit?
Læſa dolet Dido, quòd, falſi Dædalus ignis,
Duxerit in Lybicos arma, virumque toros.
Vix norât, prudens animi Regina virilis,
Dardanium fama poſteriore ducem.
Quid quòd et invicti ſervat decora alta pudoris,
Nulli poſt thalamos nupta, Sichæe, tuos?
Siqua tamen fonti venia, et laus danda Poetæ;
Culpa, Maro, veniâ, dignaque laude tua eſt.
Tales, ipſe ardens, alius malè concinit ignes;
Et ſimili pingit turpia facta manu.
Tu neque conceſſo nimium concedis amori;
Et, quæ ſunt tacita nocte tegenda, taces.
Hoc te Parthenium dicam de nomine vatem;
Et quem, ſi quartum dempſero, quiſque legat.
Sed jam adſit Vates Pelignis natus aquoſis,
Inter inhumanos juſſus obire Getas.
O utinam, mihi dum caneris, tua vena canenti
Purior hìc, Ovidi, lucidiorque fluat;
Quiquè tuas leget hìc laudes: has, dicere poſſit,
Dictavit laudes ipſe Poeta ſuas!
Præſtitit ingenium Vati natura beatum.
Ingenio vates adfuit ipſe ſuo.
Quos non, quidquid agat, numeros æqualiter implet;
Quamvis ad teneros aptior uſque modos?
Sponte ſua Charites veniunt in carmina Vati,
Et Venus, et nulla dulcior arte Lepos.
Inſinuat ſe ſe vafer, et præcordia verſat;
Et molles animos, mollior ipſe, facit.

Seu dolet, et de ſe queritur miſer: ipſe dolenti
Annuis, et ſenſus commiſerantis habes.
Sive, ferant ut opem, fidos rogat exul amicos:
Ferre velis promptam fidus amicus opem.
Seu ferit ingratos, venalia corda, ſodales:
Sævus in ingratos tu quoque bella moves.
Seu priſcas narret mutantia Corpora formas,
Et Romæ mores, primaque ſacra rudis;
Seu canat, Herois quidquid minitanſque, roganſque
Exprobrat ingrato, conqueriturque viro:
Quæ legis, hæc illo credas narrante videri;
Quoquè canit, jures, quæ canit, acta modo.
Uſque adeo formas Protheus ſe vertit in omnes;
Et, quamcunque libet ſumere, forma decet.
(a) Sunt tamen exigui vel pulchro in corpore nævi,
Et patitur manes Naſo poeta ſuos.
Nil illi ſatis eſt: ultra confinia juſti
Sæpius ingenio fertur ab ipſe ſuo.
Haud ſemel et gravibus mœſtis leve miſcet acutum,
Fòrs prudens, dum vult blandior eſſe, minùs.
(b) Ipſe ſuas noſcit mendas, ſed diligit illas;
Solaque peccandi cauſa placere ſibi eſt.
O utinam tragicis ultrix Medea cothurnis
Extaret, teneri nobile Vatis opus!
(c) Siqua fides Fabio, ſatis illa Tragædia magni
Ingenium Vatis, judiciumque probat.
Materiâ tamen ille magis, quàm carmine, peccat.
Ipſa ſui vitium carmina Vatis habent.
Ah! meliùs pejora canit; nec tam bona turpi
Carmina propoſito convenienter eunt.

Arte

(a) *Vide Senec. Nat. quæſt. lib. 3. c. 27.* (b) *Senec. Controv. 10.*
(c) *Quintil. Inſtit. Orat. lib. 1. cap. 1.*

Arte ſua meritò periit; ſed plurimus illa
Nunc quoque, me miſerum! lector ab Arte perit.
Forſan et Etruſcæ (pueris magis inde timendum)
Pierides, quod ab hac diſcitur Arte, docent.
Siquis adeſt, nullum quamvis hic eſſe putandum eſt,
Inter diſcipulos, qui legat iſta, meos:
(Nempe meos olim, quamvis minùs ipſe putarem,
Inter diſcipulos unus, et alter erant)
Ah! turpes mihi nunc, Phœbus nam ſanctior urget,
In verſus liceat, fœdaque plectra vehi.
Hæc blandè vos a ſtudiis gravioribus arcent;
Hinc animi vigor eſt, ingeniique minor.
Quin et cum placitis præcordia verſibus intrat
Mollior affectus, nec minùs ipſe placet.
Ergo ſit, o Juvenes, ipſa vel in arte canendi
Cura prior vitæ, cura ſecunda lyræ.
Nil morum pretio bene diſcitur. Eſſe poetam
Quis cupiat, ſi non debeat eſſe pius?
Et ſtylus, et candor non eſt, quod amatis in illis
Verſibus: ah! ne ſit ſubdolus alter amor.
Si ſtylus, et candor tamen eſt, quod amatis in illis
Verſibus, et non eſt ſubdolus alter amor;
Id poterunt ſanctæ meliùs docuiſſe Camœnæ,
Quarum jam vobis copia multa ſubeſt.
Cur, quo ſecuræ ſparguntur nectare menſæ,
Hoc placeat dubias inter habere dapes?
Inſontis cur non potior ſit floſculus horti;
Quàm ſub quo flori concolor anguis adeſt?
Non ego tot vobis teneros excludo Poetas;
Non ipſum, de quo juſta querela mihi eſt.
Et me (quid ſimulem?) tangit Sulmonis alumnus;
Et mihi perlegitur, quò meret uſque legi.

Sed

Sed Pudor, et Pietas, ſed quà Deus imperet; illum
Vulcano pergam tradere primus ego.
Primus ego: Vatis, clamem, procul eſte profani
Carmina, inoffenſo neſcia corde legi.
Quos facitis, flagrate rogis melioribus: uram,
Urar ne veſtro, vos prior igne meo.
Suppleat inceſtas majori numine Muſas
Et Deus, et nato proxima Virgo Deo.
His nos auſpicibus ſacros cantabimus ignes,
Quos legat, et meliùs diſcat amare puer.
Nec deerunt, quamvis abſit cum matre Cupido,
Et Lepor, et Charites, et ſine fæce Sales.
Nec deerunt verſus, etiam Naſone relicto,
Si caſti non ſint, quos putet ille ſuos.
Talia tu, Virgo, facies in carmina vires:
Ingenium dabitis Tuque, Puerque tuus.
Sed jam oblita viam repetat nunc Muſa priorem;
Et Vati proprium ſignet utrique decus.
Judicium magni Vatum ſibi quiſque Maronis;
(a) Ingenium, Naſo, malit habere tuum.



MAR-

(a) *Seneca loc. cit. vocat Ovidium* Poetarum ingenioſiſſimum, et ſummi ingenii virum; *et Barclajus Euphorm. lib.*1. quem Natura omnium ingeniorum compendium fecit.

MARCI TULLII CICERONIS,

AC

MARCI ANNÆI SENECÆ,

Ex Eruditorum judicio,

* COMPARATIO;

Et quid in utroque admirandum præcipuè, imitandumque.

E L E G I A.

QUid Senecam vincat Cicero, quid cedat eidem,
Quærere, nil tutæ, credite, laudis habet.
Diſſimiles ut ſint formâ, cultuque loquendi;
Attamen ingenii ſunt propè laude pares.
In reliquis magno ſe judice quiſque tuetur:
Aptior ætati ſcripſit uterque ſuæ.
Illic Roma ſuum Ciceronem libera præfert;
Hìc præfert Senecam ſubdita Roma ſuum.
Cæſar utrumque probat. Juvenem regit iſte Neronem;
Vindictam Caji temperat ille ſenis.
Hoc longè melior, quòd ſano tempore ſcripſit
Tullius, et populi voce diſertus erat.
At paucis ſapiens, et morum doctor in aula,
Debuit Annæus Principis ore loqui.
Si tamen in ſcirpo fas eſt mihi quærere nodum;
(Hæc memini doctum verba dediſſe ſenem)

Fòrs

* *Vide de argumento eodem Proluſionem in fine Libri.*

Fòrs addam Senecæ, Ciceroni plufcula demam:
Ex omni neuter parte probandus erit.
Sed vitiis nulli licuit caruiffe. Laborat
Qui tantùm minimis, optimus ille mihi eft.
Hæc bonus ille fenex. Sed non tamen audeo, mentem
Ipfe meam prodens, dicere prorfus idem.
Quod fi fcire lubet, Senecæ quæ gloria major;
Quod Tullî proprium, præcipuumque decus:
Plura prior doceat forfan, perfuadeat alter;
Nempe hic Orator grandior, ille Sophus.
Aptior his Seneca eft, quos aut venerabilis ætas,
Notaque jam virtus, aut grave munus habet.
Quin alios etiam, tantùm contenta doceri
Materies, Senecæ nil vetat ore loqui.
At, fapiens cui mens defit, doctrinave morum;
Illâ quî fperet providus ire viâ?
Scilicet eloquio, res eft, quæ tangit in illo:
Hæc abfit, vix, quod tangere poffit, adeft.
Et tamen haud defit, faftus quem ludat inanis;
Sit ftudio quamvis, ingenioque minor.
Dum nil connexum, dum fatur gnomatis inftar
Quidlibet; hinc Senecæ fe putat effe parem.
Congeriem lapidum, nifi fit pretiofa, quis unquam
Laudet; et hæc, dicat, quàm bene ftructa domus!
Quid quòd et ipfa, fuus fi cultus defit, et ordo,
Quæ placuiffe folent, non tamen ufque placent?
Multum confilio debet, fpeculoque venuftas;
Raraque apud nos eft forma fine arte decens.
Cur non fit linguæ, quæ fronti cura placendi eft;
Cura viros deceat cùm tamen illa magis?
Ergo disjunctis minor eft Oratio membris,
Singula fint pulchro corpore digna licèt.

Ut

Ut valeat nervis, placeat quoque ſanguine; nec, ceu
Gutta cadat: potiùs fluminis inſtar eat.
Hæc, et plura docet, cui ſe malè conferat alter
Æmulus, exemplo Tullius ipſe ſuo.
Seu lubeat pleno coram dixiſſe Senatu,
Cauſa ſit in medio ſeu peragenda foro:
Sive ſacro de ſuggeſtu terrere nocentes,
Quæquè pios maneant fata, docere juvet;
Quis non utendum ducat Cicerone magiſtro?
Poſſe loqui quis non illius ore velit?
Illius eloquium eſt, quo diſceptanda Sophorum
Dogmata; quo dici publica jura petunt.
Illius eloquium eſt, quo res urbiſque, domique;
Quo gaudent etiam moribus apta legi.
Hæc Senecæ pariter laus eſt; neque terminus idem
Poſcat idem ſemper, quo teneatur, iter.
Tutior illa tamen via, quam tenuere Diſerti:
Tullius his, primum quem ſequerentur, erat.
Nunc illum et mea cura ſequi eſt. Cùm ſuggeret ætas,
Aut ratio, forſan dux meus alter erit.
At [a] Vos, ſeu Senecæ, ſeu Tullî dictiò tangit
Gratior; ut facitis, qua decet, ite viâ.
Pergite judicio componere quiſque magiſtro.
Hoc Senecæ partes, hoc Ciceronis aget.



Mili-

(a) *Ad Viros eruditos, coram quibus hac Auctor enunciabat.*

Militia est vita hominis super Terram. *Job.* 7.

ILLUSTRISSIMO VIRO,

AUGUSTINO IMPERIALE

QUONDAM

JULII.

ELEGIA PRIMA.

Nullo Orbis loco apud homines Pacem esse. Cùm Europa ferme omnis diuturno bello laboraret Anno MDCIVC.

ANnè homini sit Pax homines sperabilis inter,
    AUGUSTINE, mihi nunc, rogo, testis ades.
Testis ades; quando mens est tibi stemmate major,
    Nec magnâ virtus est tibi mente minor.
Nil ægrum jam corpus obest; quin providus illud
    Doctrinæ causam, materiemque facis.
Ipsa quidem; nec jam frustra quæsita potentis
    Divitias inter, deliciasque domus,
Inter nodosæ (quis credat?) vincla podagræ
    Dat tibi Pax animo liberiore frui.
Jamque diu tibi nota, simul dat noscere, quonam
    Ipsa sit, atque alios posse docere, loco.
Sæpe mihi totum Pax est quæsita per orbem;
    At quæsita diu, nulla reperta mihi est.
Quò me cunque fero, nihil est, nisi Martis imago;
    Et Martis comites, hinc Dolus, inde Furor.

Quas

Quas mihi non clades, quæ non incendia monstrat,
    Viribus Europe penè subacta suis?
Thracia funesto dudum sub Marte laborat;
    Victaque jam toties, vincere certat adhuc.
Quò non, lassa, tuas mittis, Germania, turmas;
    Quæquè tuâ non sunt bella gerenda manu?
Surgunt Pannonicæ misto cum sanguine fruges;
    Euxinoque diu decolor Ister adest.
Væ tibi, nî surdis, Hispania, cladibus obstes.
    Quàm timeo sceptri lubrica fata tui!
Ipse novo cum Rege sibi nova bella Britannus
    Traxit; et, ut vincat, quid, rogo, laudis habet?
Quid Batavos; quid te, Marti damnata perenni
    Belgica: quid toties oppida capta canam?
Ut bene dissimulet, nec victrix Gallia ridet;
    Et sentit pretio stare trophæa suo.
Tu quoque mœsta refers geminæ vestigia cladis,
    Hostibus, heu? felix, Itala Terra, tuis.
Hei mihi? vincat uter geminis ex hostibus, optem?
    Vincat ut alteruter, sors miseranda tua est.
Ut tamen hæc desint; et pulso læta Gradivo,
    Accedat Mundo, quæ fuit antè, quies:
Restat adhuc odji semen, bellique gerendi
    Causa, nec optatæ tempora Pacis eunt.
Nec Mare, nec Tellus, nec Cœlo proximus Aer,
    Dant Paci certum, perpetuumque locum.
Ingredior tectis plenas, et civibus urbes.
    Hos patriæ pietas, hos bene junget amor.
Sed strepitus, rixæque mihi, Fraudesque, Doliqué
    Occurrunt ultro per fora, perque vias.
Hinc motus plebis varios, civiliaque arma:
    Hinc video promptas in sua fata manus.

Ingredior, qua parte fori, venerabilis alto
    In ſolio Minos, et Rhadamante, ſedes.
Hic locus eſt Themidos; Themidos ſoror altera Pax eſt;
    Regia fòrs Themidis Regia Pacis erit.
Attonitas ſed quis clamor mihi vulnerat aures?
    Quæ rumpunt trepidum jurgia rauca forum?
Ipſa ſedet belli Themis, et ſimul Arbitra pacis;
    At ſemper diſcors, et ſine pace fuit.
Quis Pacem, niſi mentis inops, exquirat in aula?
    Exeat hac, ſiquis commoda pacis amet.
Ut ſtrepitus, et, quæ circum regalia Curæ
    Tecta volant, longos prætereamque metus;
Armatæ ſiſtunt ipſo ſe limine turbæ;
    Et vultus, ſi non dextera, bella gerit.
Nec minùs excludunt privata palatia Pacem:
    Sic primum terrent atria viſa pedem.
Hìc haſtas pendere vides, vexillaque muris,
    Scutaque cum galeis, oraque picta ducum.
Sed levis hinc timor eſt: domibus cuſtodja magnis
    Mittitur ex antro gens, Polypheme, tuo.
Quis vultus immanè truces, ſimileſque Cyclopi;
    Quis pictas hirto perferat ore minas?
Fòrs tamen ipſa domûs penetralia pace fruuntur.
    Pax gaudet tacitos incoluiſſe lares.
Sed malè cum domino ſervus, natuſque Parenti
    Convenit; et Fratrum gratia rara quoque eſt.
Quid quòd habet faciles conjux cum conjuge rixas,
    Primaque vix illis eſt ſine lite dies?
Infelix, ſuà quem ſors, aut maleſana cupido,
    Has vocat in pugnas, nec ſinit eſſe ſuum!
At Pacis loca certa petam: loca Palladis ibo.
    Hæc odit pugnas, hæc bona Pacis habet.

Me

Me miſerum! Quò nos belli rapit impius ardor?
Huc quoque fert rixas Martis imago ſuas.
Conſule Grammaticos: vel Perſæ pugnat Achivus;
Vel cum Romano Pœnus in arma ruit.
Et ſua victori, ſua ſunt inſignia victo:
Alter habet palmas, dedecus alter habet.
Bella canunt Vates; et, quas Venus improba mittit,
Quaſquè puer Veneris, bella priora, faces.
Ah! quoties hæc, dum quis legit, prælia ſenſit;
Nec ſua pax illi, mens nec, ut antè, fuit!
Parce memor teneros ignes legiſſe, Juventus;
Et quidquid molli vulnere corda ferit.
Rhetora quid memorem? Sunt et ſua ſcilicet illi
Spicula, diſpoſitis ſpicula certa locis.
Hæc, quoties opus eſt, magno ferus impete mittit;
Miſſaque proh quantum fulminis inſtar habent!
Nec minùs alterno gaudet Sapientia bello:
Hæc via, qua juvet, eſt; hac ſolet arte capi.
Certat Ariſtoteli pars hæc, pars illa Platoni:
Hic eſt Pithagoræ, Socratis ille comes.
Et Scotus ſua caſtra regit, ſua magnus Aquinas;
Nec medji deſunt inter utrumque Duces.
Tu verò Euclidis telis, habituque Poetæ,
Bella moves cunctis, Carteſiane, Sophis.
Quid reliquos memorem? Tot jam ſunt ſigna, quot hoſtes.
Militat ingenio, dux ſibi, quiſque ſuo.
An non materies belli, propè tota Vetuſtas,
Ingenio noſtri temporis apta, ſubeſt?
Dimidji Lapides, truncoque Numiſmata naſo,
Nec ſatis inſcriptis cognita ſigna notis:
Ipſi jam Veterum cineres, Maneſque quieti,
Non uno lis ſunt, rixaque longa loco.

Ma-

Magnum etiam Medicis nostro de corpore bellum est;
Et quo sint Morbis bella gerenda modo.
Sævior hic ægro est, quò prosit; mitior ille.
Quàm vereor, misero ne sit uterque nocens!
Sacra Deo delubra petam, Pacemque requiram.
Ipse Deus Pax est, et loca Pacis amat.
Hei mihi! Quæ castos arcent spectacula vultus?
Hìc quoque sunt oculis bella videnda meis.
Narratas audire solent Altaria pugnas;
Votorumque loco prælia sæpe legi.
Quin, Mystes dum sacra facit, pacemque precatur,
Prælia si non Mars, prælia miscet Amor.
Plurima non arcu, sed vultù, pugnat Amazon;
Quæquè ferox minùs est, acriùs illa ferit.
Hæc dixisse sat est: oculi procul este pudici.
Ah! quot sunt isto vulnera facta loco!
Fòrs, nudis pendent ubi picta Silentia muris,
Et Pietas, et Pax, et manet alta Quies.
Sed neque, quos habitus, quos ritus consecrat idem,
Conveniunt semper; sed sua bella gerunt.
Bella gerunt equidem, Cœlo duce, et auspice Cœlo;
Et Domini noscunt in Cruce signa sui.
Sæpe etiam (quid enim nulla non parte beatum est?)
Bella gerunt palmas non habitura suas.
Si Sylvas intres, in Sylvis bella videbis:
En Furor adversas cogit in arma feras.
Aera si spectes, Aer sua prælia monstrat:
En urget trepidas armiger ales aves.
Et Venti certant Ventis: adversus in Austrum
It Boreas; Zephyrum fortior Eurus agit.
Quid tonitrus, sævosquæ canam de nubibus ignes;
Cæteraque attonitis tela timenda reis?

Hinc

Hinc habet armorum Mavors exempla ſuorum;
Hinc didicit fieri fulmina poſſe manu.
Si Mare conſpicias; Mare Pacis regna putabis:
Sic Pacis vultum, ſignaque Pacis habet.
Sed cave, ne credas: nihil inconſtantius illo eſt.
Vix Pelago vultus, qui fuit antè, manet.
Bella gerent Venti, fretaque indignantia voluent;
Et Nereus furias tollet in aſtra ſuas.
Quid ſupereſt? Pacem ſtygiis quæremus in antris?
Ah! non hoc Pax eſt invenienda loco.
Hìc habitant Curæ ultrices, Pallorque, Timorque;
Et Labor infelix, et maleſvada Fames.
In foribus Bellum ſedet, et Diſcordia demens;
Intus habent pœnas impia Bella ſuas.
Ibimus in Cœlum? ſed et hìc quoque bella laceſſit
Lucifer; et comites urget ad arma ſuos:
Syderaque in Siſaram pugnant; juſſumque morari
Solem Nuniades ad ſua ſigna vocat.
Quin et ſæva ſuo quoque nomine Sydera terrent;
Et belli cauſas, auguriumque ferunt.
Exerit hinc enſem nautis metuendus Orion;
Hinc Mars irato ſplendidus ore rubet.
Hìc ferus Alcides, hìc eſt ferus ægide Perſeus:
Inde vibrat Chiron ſpicula certa ſenex.
Quonàm abjit miſero tandem Pax transfuga Mundo;
Quâve mihi terrâ, quove petenda mari eſt?
Jam nec habet Pacem Phlegeton, nec Sydera Pacem:
Pace caret Pelagus, Terraque Pace caret.

ELEGIA SECUNDA.

Non est Pax impiis, dicit Dominus. *Isaiæ* 57.

Ex persona Christiani hominis paulò liberioris, hinc Conscientiæ stimulis, inde Voluptatis illecebris exagitati.

ERgo mihi Tellus, Pelagus mihi bella minatur;
Ipsa feri vultum Sydera Martis habent?
An præter Cœlique vias, Solisque labores,
A nostro longè Pax tenet Orbe locum?
Hìc nullam video vel Pacis tempore Pacem.
Pax aliis visa est, Pax mihi nulla fuit.
Quid procul ex hominum turba mihi profuit uni
Vivere; quid paci consuluisse meæ?
Quò me cunque tuli, nova mecum bella ferebam;
Nec pax ulla mihi, nec bona pacis erant.
In me nunc etiam, duce me, me milite, pugno.
Campus ego Martis, causaque Martis ego.
Adversæ dubio surgunt in pectore turmæ:
Hinc Amor, hinc Ratio; sed mage pugnat Amor.
Talis erat, credo, geminos paritura Marito
Isacidas, pleno torta Rebecca sinu.
Discordes Matris vexabant anxia Fratres
Viscera, dum nasci certat uterque prior.
Ipse etiam fatum experior crudele Rebeccæ.
Par hoc nescio quid pectore bella gerit.
Esau Jucundo, Jacob decertat Honesto:
Viribus in miserum sævus uterque suis.
Quàm timeo, ne sit tandem felicior Esau;
Et victus Frater turpiter alter eat!

At

At quid dissimulem? Fuit, heu! felicior Esau;
Et victus Frater turpiter alter iit.
Indignas subii demens ab Amore catenas,
Insidoque dedi colla premenda jugo.
Nec tamen inveni speratæ gaudia Pacis;
Et meritò culpa plector ab ipse mea.
Plura petit, quò plura tulit, furiosa Cupido.
Ah! miserum, siquem vicerit illa semel!
Pabula dum flammis crescunt, incendia fiunt;
Jamque mihi febris est, quæ sitis antè fuit.
Nec minor est morbus, dum crebro proluor haustu:
Ardor ab ingestis sæviùs urit aquis.
Ut tamen exundet pleno mihi fonte Voluptas,
Quamquè diu votis fingo, perennis eat;
Instat agens Ratio, scelerumque in pectore vindex
Ostendit mihi me nocte, dieque reum.
Hei mihi! Quid feci? Piget, heu! fecisse, pudetque;
Ipsaque jam longus sunt mihi facta dolor.
At neque præteriti pudor est medicina futuri;
Et, modò quod doluit, rursus, ut antè, placet.
Lumen adest menti, desunt in pectore vires;
Et meliora probo, deteriora sequor.
Sæva dies animi satis est, ut tristior; idem
Ut fiam melior, non tamen illa satis.
Ah! quoties; cùm non possem parere monenti,
Et terrere tamen pergeret ipsa scelus:
Optavi, Ratio vel nequid cæca moneret;
Vel sceleri titulum ferret, opemque meo.
Ipsa tamen stultè profugo præsentior instat;
Exprobratque novum, sævior ore, nefas.
Et modò, terribiles intentans Numinis iras:
Hoc læsum toties est tibi Numen, ait.

 Et

Et modò, Tartareos oculis dum ſubjicit ignes:
    Hos, ait, an toties te meruiſſe neges?
Perge viâ, quæ trita tibi eſt, ſceleratus eadem:
    Hinc Erebi ad poſtes vix breve reſtat iter.
Nequidquam mentem averto: trepidare neceſſe eſt,
    Meque vel invitum frigidus horror habet.
Jamque ſequi certum eſt vitæ meliora futuræ
    Conſilia, et lævam deſerviſſe viam.
Atque utinam poſſem! Miſerum jam grata moratur
    Semita, propoſito deficiuntque pedes.
Quid quòd, ab irato veniam ſperare paratam
    Numine ne poſſim, conſcia culpa facit?
Rurſus adeſt Ratio, veniamque a Numine læſo
    Spondet, et auxilium; ſi tamen ipſe velim.
Cur non ipſe velim? Quidnam (ſuſpiria teſtor
    Hæc mea) ſic vellem? Velle ſed iſtud ubi eſt?
Neſcio, quid pugnet contrà: Videor mihi velle,
    Et vellem certè; nec tamen uſque volo.
Invitum, dum penè volo, rediviva Voluptas:
    Ah! non invitum, nam placet ipſa, trahit.
Me miſerum! Nunc huc vertor, nunc anxius illuc.
    Nulla quies illic, hic mihi nulla quies.
Ut malè turbatum ventis, ac fluctibus æquor
    Æſtuat huc illuc, impatienſque ſui eſt;
Et nunc alternâ ſuperat, nunc deſerit undâ
    Littora; nunc Cœlum, nunc Styga pulſat idem:
Sic totum trahit hinc Ratio, trahit inde Cupido;
    Inque vicem dominam victus utramque ſequor.
Sepe etiam, neutri cedens, divellor utrinque;
    Ceu Reus adverſis corpora ſciſſus equis.
Heu! quodnam genus hoc pœnæ? Quid ſævius illo,
    Quo mea Styx tandem crimina plectat, habet?

ELE-

ELEGIA TERTIA.

Non veni Pacem mittere, ſed gladium.
Matthæi 10.

Ex perſona hominis a molliori ſæculi vita ad ſolidam pietatem redacti.

HÆC, et plura tuli; ſed jam pertæſus iniquæ
Militiæ, pugnas, & nova caſtra ſequor.
Cauſa quidem melior, ſed non minùs aſpera pugna eſt;
Nec mihi nunc major, quàm fuit antè, quies.
Me malè victorem toties nunc vincere pergo;
At quantò eſt alios vincere poſſe minus!
Nam quot ego, quantoſque ſimul jam ſolus in hoſtes
Bella, opus eſt, moveam, bellaque ſolus agam?
Privigno vix tot Juno, quæ vinceret, idem
Ut vinci poſſet, grandia monſtra dedit:
Vincendas quot habet peſtes natura rebellis.
Hæc etiam nobis, credo, noverca fuit.
Nos quoque corde feras vario nutrimus, et hydras,
Vulnere creſcentes, indocileſque mori.
Quanto, dic, opus eſt ad tales Hercule pugnas!
Hìc mihi, ſi vincas, Hercule major eris.
Forſan et, attonito quæ vicit plurima Mundo
Alcides, animi monſtra fuere ſui.
Nec jam cum Vitiis pacem, fœduſve paciſci
Fas eſt: hac multi conditione cadunt.
Nec mihi tuta fuga eſt hoſtis: fuga ſubdola Parthi eſt.
Ah! quoties, etiam dum fugit, ille ferit!

Pugnan-

Pugnandum ſemper. Vix bello vincitur hoſtis;
Nec bellum poſcit quilibet hoſtis idem.
Suggerit arma quidem Ratio, ſimul edocet, hoſtem
Quo valeam prudens ſubdere quemque modo.
Quis tamen hanc diſcat ſatis, aut exerceat artem?
Hæc cui ſit facilis ſemper ad arma manus?
Cautior audaces frænat cuſtodia ſenſus;
Nam pugnant ſenſus in mea damna mei.
Præcipuèque oculis ea, quæ fuit antè, negatur
Libertas: oculi vulnera prima ferunt.
Adde, quòd et volucri (gentem quoque ſævus in illa
Hoſtis habet) menti ponere fræna decet.
Hìc viſæ quondam ſimulacra fugacia formæ
Hoſtis agunt partes, diraque bella movent.
Quin viſæ nunquam formæ ſe ſiſtit imago,
Menti neſcio qua picta ſubinde manu.
Blandior illa tamen, veroque potentior ore,
Hei mihi! plus etiam, quod timeatur, habet.
Sollicitus vafræ mentem ſubducere larvæ
Ut ſtudeam, mentem fortior illa ſubit.
Quid faciam? Precibus, lacrymiſque ſequacibus utor,
Sæpius et flagris; auxiliumque voco.
Auxilium, tumuli Cineres, meditataque fertis
Vos mihi tunc, ſtygio Crimina nigra rogo.
Hos cineres pius, hos menti Deus injicit ignes;
Jamque fugit Cypris, nec placuiſſe poteſt.
Hinc mihi læta quies, hinc ſanctæ gaudia pacis.
At quàm pax brevis eſt, quàm mihi vana quies!
Protinus eſt alios pugnandum rurſus in hoſtes,
Bellaque jam laſsâ rurſus agenda manu.
Laudis amor victo Veneris ſuccedit amori.
Alter amor, victo Laudis amore, venit.

Ipſi

Ipſi jam redeünt hoſtes in prælia victi,
Victori rurſus turba timenda ſuo.
Me miſerum! Jam pulſa Venus nunc fortior inſtat.
Ira modò domita eſt: Ira domanda modò eſt.
Hoc quoque jam timeo, ne me victoria perdat;
Seu minùs inde vigil, ſive ſuperbus eam.
Haud ſemel hoc dolui; ſpoljis ceu victor opimis
Degener, et præda captus ab ipſe ſua.
Uſque adeo facilè eſt vinci tot ab hoſtibus unum.
Quælibet exitio cauſa ſit apta meo.
Quid miſero ſupereſt? Tanti victoria conſtat
Una, nec a multis pax tamen ulla venit.
Militiæ par vita mea eſt: mihi militis inſtar
Triſtia perpetui tempora Martis eunt.
Sed tamen et caſtris ludit ſecurus in ipſis;
Sed ſua poſt pugnas otia miles agit.
Nec ſemper rigidâ tractat fera ſpicula dextrâ;
Nec ſemper, cum quo congrediatur, habet.
At mihi nulla dies tutam ſinit eſſe quietem.
Ambiguo certus ſemper ab hoſte metus.
Ecquando, Superi, longis jam debita votis
Pax mihi tot curas, duraque bella levet?
Jam minor eſt animus, novaque in certamina virtus.
Jam feſſum toties dimicuiſſe piget.
Aut Pax certa ferat longi mihi præmia Martis;
Aut Mors militiæ meta ſit ipſa meæ.

ELEGIA QUARTA.

Pax est electis ejus. *Sap.* 3.

IN SOLO DEO PACEM ESSE.

Ex persona viri sancti, absolutæque virtutis.


PLaudite: Jam totum frustra quæsita per Orbem,
Huc ades in solo, Pax mihi cara, Deo.
Ut tandem dubitata venis, vultuque beato
Sollicitæ pensas tædia longa moræ!
Cur malè quæsivi te nugas inter inanes?
Ah! non hoc fueras invenienda loco.
In solo Pax vera Deo est: quid quæritur extrà?
In solo certè Pax mihi vera Deo est.
Quid mihi spondebas pacis, vesana Voluptas?
Pax inter flores non fuit ulla tuos.
Quis mihi congesto pacem promisit in auro?
Ah! miser, et pacis nescius ille fuit.
Quid vanâ toties me lusit imagine pacis
Gloria? Nil veræ Gloria pacis habet.
Ite leves Risus, et falso Gaudia vultu:
Ah! toties votis Gaudia falsa meis.
Ite leves, domino labor improbus, anxia mentis
Curaque, dum fugitis, dumque venitis, Opes.
Nulla fides posthac titulis, et inanibus auris;
Quas patulo laudum Tantalus ore bibit.
Pax mihi divitiæ, Pax est mea sola voluptas;
Inque sinu Pacis gloria tota mea est.

Hæc

Hæc opportuno venientes neɛtare curas
 Oblinit, hæc triſtes non ſinit ire dies.
Sive tegat Cœlum nubes obſcura ſerenum;
 Clara dies animo, quæ fuit antè, manet.
Seu rigidi Boreæ, ſeu nubilis aura Favonî eſt;
 Nulla ſtatu mentem dimovet aura ſuo.
Sive nocens æſtu, ſeu frigore ſæviat annus;
 Perpetui lætus tempora veris ago.
Scilicet æquali reſpondent omnia menti;
 Nec vitiis animus pugnat, ut antè, ſuis.
Bellorum cauſas animo Deus expulit omnes,
 Ipſe regens animum; nec prior hoſtis adeſt.
Nec me læva premit, nec me ſors dextera tollit;
 Dextera nam ſors eſt, lævaque nulla mihi.
Ipſe meum fingo, Cœlo, et me judice, fatum;
 Et ſum fortunæ Dædalus ipſe meæ.
Nec vexant aliena mihi jam prælia pacem;
 Alterius fio nec mihi clade miſer.
Seu Rutulus, ſeu Tros adverſo Marte laboret;
 Nec Rutuli ſubeo, nec mala Trois ego.
Ac, velut aereo quà vertice ſurgit Olympus,
 Nube minax æther inferiore tonat;
Sic iɛtus in me rerum mittuntur inanes:
 Omnibus his extant peɛtora tuta malis.
Fòrs aliquis, cui ſanɛta quies, ignotaque mentis
 Gaudia, me miſerum, dum videt, eſſe putet.
Ipſe tamen felix meliores exigo Soles;
 Atque uni tantùm ſors mea nota mihi eſt.
Quin etiam facili ſpeɛto de littore præſens,
 Quos mare per medium ventus, et unda trahit.
Ut me naufragii tantùm miſeratio tangit,
 Nec turbæ ſum pars ulla ferentis idem!

Et

Et quibus eripior Cœli, pelagique ruinis!
    Quas extra possum currere liber aquas!
Ipse etiam quondam ventis jactabar, et undis,
    Expertus medio publica fata mari.
Nunc mihi tuta facit littus spectacula. Nullam
    Spem mihi fert; nullum ventus, et unda metum.
Hoc opus est Pacis: Deus omnia præstat in illa.
    Pax votis satis est omnibus una meis.
Nec mihi Mors tollet, tollat licèt omnia, pacem;
    Quin auctor longæ Mors mihi pacis erit.
Hanc patrio, Pax ipse, dabit Deus æthere tandem.
    O quæ pax illic, quæ bona pacis erunt!
Hanc avidus toto suspiro pectore pacem;
    Summaque sit voti nigrior hora mei.
Ergo veni, Mors cara mihi, per tela, per ignes;
    Et quocunque soles sævior esse modo.
Optantem feriet mundo devota securis,
    Nec fati trepidum, degeneremque mori.
Ut Phœnix it vivaces securus in ignes;
    Ut vicina canit funera lætus Olor:
Æternæ sic pacis amor mihi prævia mulcet
    Funera, cur cantu præveniamque, facit.



SA-

SACRUM VIRTUTUM OMNIUM VIRIDARIUM,

*FARNESIANIS


PARMENSIS NOBILIUM COLLEGII

APIBUS

IIS IN COELITIBUS EXHIBITUM,

QUIBUS EST NOMEN A FLORIBUS;

Cùm Auctor in eodem Collegio humaniores literas doceret.



FLOS NAZARENUS, CULTOR FLORUM;

SIVE

CHRISTUS DOMINUS

Omnium nobis Exemplar, ac Magister Virtutum.

IDYLLIUM ALLEGORICUM.

TE primum,(nam quem celebrent mea carmina primũ?)
Flos idem, atque idem Cultor pulcherrime Florum,
CHRISTE, canam. Tu ver Mundo Flos efficis unus:
Tu curâ pigram in flores operosus amanti
Tellurem exerces: tibi sanctior undique surgit
Hortus, & inscripti referunt tua nomina Flores.

Jam

*Insigne Collegii *ALVEARE* cum *APIBUS*: ejusdemque Patronus, Serenissimus Dux *FARNESIUS*.

Jam ſterili dudum Tellus damnata veterno
Agricolæ primi pœnas dabat, undique ſolas
Fertilis in ſpinas, et acutis horrida dumis;
Cùm Pater omnipotens fatum miſeratus iniquum
Terrarum, quas in tales haud condidit uſus
Ipſe priùs: miſeris, inquit, ſatis uſque malorum eſt.
Tempus adeſt, longis tandem ſpes anxia votis,
Quo primæ felix iterum Telluris imago
Floreat, et ſæclis ætas haud invida priſcis.
Jamque adeo, fido dudum promiſſus Abramo,
Jeſsiade e virga Flos, et de virgine terra
Tandem mortales erumpat notus in auras.
Hæc Pater; et magno ſatis eſt dixiſſe Parenti.
Ergo, Sithoniæ quamvis hyberna pruinæ
Arva tegant, ſæva et Boreas conſpiret ab Arcto
Floribus infenſus, primiſque nocentior herbis;
Pulcher inoffenſo Flos eſt de caulice viſus
Erupiſſe tamen, magni primordia veris.
Primùm Bethlemii Florem agnovere coloni
Nazareum: tali Flos eſt agnomine dictus,
Nomen ſi quæras, cunctorum nomina Florum
Solus habet; nam ſolus habet decora omnia Florum.
Quos non inde, licèt nebulis vexatus, et Euris,
Vitales circùm exhalans immiſit odores
Judæa in magna, et campis Samaritidos oræ;
Atque ubi Davidicæ pulcherrimus imminet Urbi
Collis Olivarum, ſacroque ubi vertice Thabor
Erigitur Cœlo, Cœlo gratiſſimus idem:
Quaquè fluit præceps Ciſſon; quà purus amaras
Jordanis, quas ingreditur, præterfluit undas,
Et loca deſignat factis memoranda vetuſtis.
Huc verò inſuetuſque odor, & vis integra Floris

Flo-

Florigeras longè gentes trahit. Illius ergo
Et patriam, et dulces natos, carosque labores
Deseruisse juvat: veteres quoque visere saltus,
Et variis pridem celebratos floribus hortos
Cura fugit; nam, dum tanti data copia Floris,
Lilia cum Violis sordent, tristesque Hyacinthi,
Et Thymus, et Crocus, et Smilax, et lutea Caltha;
Narcissique, Rosæque, atque omnis copia naris.
Tantus amor, tanta est divini gratia Floris.
At vos bissenæ, quid non suxistis in illo,
Felix agmen; Apes? Quàm dulcis semina mellis
Haud licuit, quas aut ceras libare futuras?
Vos adeo cunctas cœlestis dona tulistis
Nectaris in terras; et vestra luce minores
Errorum, Scelerumque procul fugere tenebræ.
Vos homines, cæca pridem in regione vagantes,
Et curvum in terras animum, vultumque trahentes,
Nempe Deo dignos docuistis judice mores,
Et nota optantes ad sydera tollere vultus.
Hæc Apibus Flos, mortali jam vividus ævo,
Posse dedit. Ferro at postquam succisus iniquo est,
Et vitâ simul exutus, formaque priori:
Dum dolet amissum, mutato Flore, recepit
Cultorem florum tellus; nec funere Floris
Jam doluit, quo facta sibi tot Copia florum.
Certa fides facto est; nam, cùm Bethanides illum
Lugerent Nymphæ formâque, animâque carentem,
Præcipua e Sociis, & Floris amantior una,
Magdalis agnovit redivivum e funere Florem;
Ipse alius quamvis, nec jam Flos ampliùs idem,
Sed posset, qualis, cui florum est cura, videri.
Sic vultus, sic ille manus, habitumque ferebat

 Agri-

Agricolæ; totuſque, niſi formoſior eſſet,
Florum cultor erat, floríque ſimillimus idem.
Scilicet ex illo jam tempore ſedulus hortos
Excolit, atque omnem impendit mentemque, manumque,
Exemplumque ſui: quæ Florum gloria prima eſt.
Ergo nec incertum verno quoque tempore frigus,
Nec ventis, pluvjiſque nocens, aut Solibus Æther,
Non ipſum ſæpe ingenium telluris iniquæ,
Aut quidquid teneris infeſtius advenit hortis,
Irrita divini fruſtratur vota Coloni.
Nil opis alterius timet indigus: ipſe, quod obſit
Floribus, avertit; quod proſit, Floribus addit.
Mollia pro tepidis ſuſpiria ſufficit auris;
Et lacrymas oculis quondam mortalibus ortas,
Sudoreſque ſuos, (quid enim fœcundius illis?)
Roris habet, pluviæque loco, creberque miniſtrat
Floribus. Adde alios, quos illis ſegregat, imbres,
Ignotos vulgo, et miſſos ſine nubibus imbres.
Eſt certo pro Sole, ſacri lux aurea vultus;
Pluribus inque locis fuſus, pro murice, ſanguis.
Diſsimilem præſtant quovis pro Flore colorem
Virtutes; nam quæ virtus haud floret in illo?
Inde virens latè populus conſurgit in hortis
Herbarum, Florumque; et in omni germine creſcit
Parva quidem, ſed pulchra, ſui Cultoris imago.
Jam non Heſperidum Sylvæ, non Theſſala Tempe
Deliciis formoſa ſuis, non regia tellus
Alcinoi; nec jam Patribus celebrata Latinis
Jugera Thelegoni, vel Tyburis arva ſupini,
Nomen habent. Jam quæ tellus gaudebat aratro
Conſulis agricolæ, dum lætos curia campis
Reddebat Patres, et Dictatore colono,
Ultro,

Ultro, Christe, tuis victam se præbeat Hortis.
Tantò maior honos, quantò præstantior ipsis
Cultor adest; quantò melius, quod floret in ipsis.
Quos non insignes datur illic cernere Flores?
At nullus tamen est, qui non sit FRUCTUS HONORIS;
Nullus, HONESTATIS qui non sit FRUCTUS, in illis.
Ut sanctis defensa rubis, spinaque fideli,
Læta verecundo gaudet ROSA verticis ostro!
Ut ROSA dissimilis, cui par tamen usque venustas,
Pallet amans! Ut dulcè virent et castus ADONIS,
Et nivei NARCISSI, et purpurei HYACINTHI;
Quosquè referre mora est alios sine nomine Flores!
O Florum decor! O Patriæ cœlestis imago;
In terris siqua est Patriæ cœlestis imago!
    Vos adeo quid non hortos properatis in istos
Sollicitæ; quid non istos exugere Flores,
FARNESIÆ, certatis, APES; quibus alta parandi
Cura sedet ceræ, divinaque munera mellis?
Ite leves; neque enim pecus estis inutile, fuci,
Quos procul a campis, procul ille a Floribus arcet.
Ite leves: en ipse suos vos Cultor in hortos
Invitat bonus, atque ultro sua germina donat.



*D. NARCISSUS MARTYR,

UNA' CUM FRATRIBUS

ARGÆO, ET MARCELLINO,

Christianæ Caritatis, ac Fortitudinis Exemplar.

ELEGIA PRIMA.

ET sacris etiam suus est Narcissus in hortis;
Et Flos nunc idem est, qui puer antè fuit.
Sed non imbellis, sed non sibi blandior uni;
Insanoque sui captus amore puer.
Quid mentis fuerit, quid magni pectoris olli,
Qualicunque memor carmine, Musa, refer.
Ipsa quidem culto meret, ut res ore canatur;
Ipsa tamen culto non eget ore cani.
Tres fuerant Fratres. Pueri, juvenesque vocari
Possent: sic ætas inter utrumque fuit.
Nec minimus Narcissus erat, nec maximus; illo
Alter nam major, nam minor alter erat.
Par illis pietas, et amor virtutis; et ingens
Ardor pro cara Relligione mori.
Hoc inter sese crebro simul ore loquuntur;
Hoc simul a Superis sæpe precantur idem.
Quisque suo calet igne. Sed, ut solet igne propinquo
Alterius prunæ pruna calere magis:

Ut

* *Vide eorum Vitas apud Bolland. tom. 1. die 20. Januarii.*

Ut magis exurgit longæ vis addita flammæ,
    Quam tumido vehemens incitat ore Notus;
Fraternis ſic quiſque magis ſermonibus ardet:
    Majorem alterius ſentit ab igne ſuum.
Sed rata vota priùs tua, Marcelline, fuerunt:
    (Hoc Fratrum minimus nomine dictus erat.)
Ille truces Licinj turmas, inimicaque Chriſto
    Caſtra ſequi juſſus, fortiùs ire negat.
Inſtat agens judex puero blanduſque, minaxque;
    Ipſe minas ridet, blanditiaſque puer.
Cæditur ergo flagris, et, nî mea caſtra ſequaris,
    Plura tibi, Judex, plura parantur, ait.
Ille autem: priùs hæc, et plura en ferre paratum,
    Quàm prodam Domini ſigna relicta mei.
Clauditur inde, lacer totos crudeliter artus,
    Carcere: curta ſpecus, cæcaque, carcer erat.
Vix hoc Narciſſi, atque Argæi venit ad aures;
    (Nominis id, natu maxime Frater, habes)
Haud mora, conveniunt Fratrem, cuſtodibus emptis:
    Sponte patent viſo carceris ære fores.
Dum peragunt ſecum, quidquid pro reque, locoque
    Sanguinis, et morum præcipiebat amor:
(a) Unanimes inter nata eſt diſcordia Fratres,
    Pulchraque lis tenuit pectora juncta diu.
Tu litem, Narciſſe, moves: ſive æmulus ardor
    Pœnarum, pietas ſeu magis illa fuit.
Scilicet hic Fratrem damnatum carcere, ab ipſo
    Carcere mutatis veſtibus ire jubet.

(a) *Argæus, et Narciſſus fratrem Marcellinum convenerunt jam carcere detentum. Certamen Fratrum, quo quiſque pro Chriſto prior mori contendebat, additum eſt a Poeta.*

Ipſe vicem Fratris (neque enim res ardua) præſtans,
　Hoc amat, hoc gaudet poſſe manere loco.
Et vultus ſimiles, et par propè convenit ætas.
　Nil, quod cuſtodes ſallere poſſit, abeſt.
Addit ad hæc titulos. Pro Chriſto plura tuliſti,
　Nil ego; nec Frater ſum tamen ipſe minor.
Nec tua cauſa meâ eſt melior. Veneramur uterque
　Numen idem; hinc meritum carceris omne tuum eſt.
Siquid adhuc pœnæ (pœnam hanc pro munere poſco)
　Te manet, ipſe feram: tu modò carpe fugam.
Hæc Narciſſus; et his ſimul addere plura parabat.
　At non Argæus longiùs ire ſinit.
Ipſe ſibi palmam deberi certat eamdem,
　Ætatis referens jura priora ſuæ.
Impatiens pugna ſed Marcellinus in illa,
　Penè ſubiraſci viſus utrique fuit.
Et, quid in hoc juris vobis eſt carcere, Fratres;
　Quave huc ad Fratrem mente venitis, ait?
Hunc egomet, ſuadente Deo, et damnante Tyranno,
　Jam ſubii, nulla ſubdolus arte, locum.
Me pariter juvat hic tandem mea fata morari:
　Sive mori, atque utinam; vivere ſive velint.
Nil juvat hic ætas. Cœlum non computat annos.
　Hoc ipſo poſſum, quòd minor, eſſe prior.
Quid lacrymas, et verba datis? Gratiſſima, Fratres,
　Veſtra quidem eſt pietas; ſed minùs apta tamen.
Quæ jurata fides a me tibi, Chriſte, probare
　Mors mea ſola poteſt: morte probanda mea eſt.
Et vos, ſpero equidem, tandem manet exitus idem;
　Et noſcam Fratres hac quoque parte meos.
Has voces dabat ille; at neuter vocibus illis
　Flectitur, et cauſæ pugnat uterquæ ſuæ.

Hoc tantùm excipias: reliquis cor in omnibus unum,
Menſque fuit ſemper Fratribus una tribus.
Nunc quoque, ne triſtis mors dividat impare fato,
Quos genus, et virtus, ſed mage junxit amor;
Nulli, Chriſte, ſacri differs decora alta triumphi.
Pulchra cadit Fidei victima quiſque tuæ.
Qui colerent eadem, Fratres, ſacra, nempe Tyrannus
Vix Marcellino noverat eſſe duos:
Protinus hunc alto vinctum jubet æquore mergi;
Illis intrepidum demetit enſe caput.
Felices nimiùm, quos terris pulchrior Æther
Abſtulit, inque hortis maluit eſſe ſuis!
Nunc quoque Terra tamen, magno nil invida Cœlo,
Neſcio quid veſtri ſervat odoris adhuc.
Vos Chriſti bonus eſtis odor. Fœcundior illo
Quæ non Virtutum germina reddat humus?
Siquid grata tamen ſacri vis præſtat odoris,
Siquid purpureus ſanguinis imbre decor:
Narciſſos tibi diſſimiles, Narciſſe, tuiſque
Fratribus, in mores fac, precor, ire tuos.

D. HYACINTHUS POLONUS,

Pietatis, ac Fiduciæ ſacram in Eucbariſtiam, ac D. Virginem ſingularis, Exemplar.

ELEGIA SECUNDA.

Œbaliden ſileant Hyacinthum carmina Vatum.
Cui non hæc puero fabula nota ſatis?
Lætus amor Phœbi, Phœbi dolor anxius idem,
Nominis in florem tranſiit ille ſui.

Nunc mihi Sarmaticis vernans Hyacinthus in hortis,
Nullo jam dictus carmine, carmen erit.
Partheniæ selectus amor fuit iste Parenti;
Et tibi, quo nato est Parthenis ipsa parens.
Hos simul ipse sui (quæ gloria major) amantes
Arsit amans simili, sin minùs igne pari.
Cætera quid referam? Factum vix eloquar unum.
Hinc satis, ut noscas cætera, lector, habes.
Augustâ quà diva Ceres servatur in ara,
Et coleris, doctâ Partheni sculpta manu:
Mos erat et vigiles Hyacintho ducere noctes;
Mors erat et solidos ducere sæpe dies.
Corpora pronus humi, vectus super æthera mentem,
Nunc tibi, Christe, dabat, nunc tibi, Virgo, preces.
Mysta simul vobis, et victima gratior idem,
Addebat precibus se supèr ipse suis.
Plura tamen, (tales quis vincere possit amantes?)
Quæ tunc a vobis ipse ferebat, erant.
Ah! quoties nunc, Diva, tuos, pulcherrima, vultus;
Nunc meruit vultus, Christe, videre tuos!
Ignotasque aljis excepit pectore voces,
Verbaque mortali non referenda sono!
Ah! quoties, explere suum quò posset amorem,
Aut quò, Christe, tuo posset amore frui;
Tela per, et medjos voluit pius ire per ignes,
Vicinique fero Bistonis ense mori!
Talis eras Hyacinthe; tuas cùm venit ad aures
Armatos, ingens agmen, adesse Getas.
Obvius actutum venientibus ire parabas;
Quàque ensem exciperes, pectora nudus eras.
At metuis, ne diva Ceres, ne Virginis icon,
Præda sit insani, ludibriumquæ Getæ.

Hic

Hic metus et grandes animos, et ſtrenua vincit
    Pectora, nec tamen eſt ſtrenuus ipſe minùs.
Ergo ſacram properans Hyacinthus Pyxida dextrâ,
    Et lævâ ſculptæ Virginis ora rapit;
Dumque rapit: non aram, inquit, ſed linquitis hoſtem.
    Ara ego, dum vobis tutior adſit, ero.
Tum manibus geminis Sacra, et Sacra altera ſecum
    Fert, dubiæ cauſam, præſidiumque viæ.
Dum fugit, auget amor curam, minuitque laborem;
    Corque premit, ſed non, Sarcina grata, manum.
Scilicet armorum ſtrepitus, gemituſque cadentum,
    Auditur propiùs; nec ferus hoſtis abeſt.
Jamque iter emenſus medium pervenerat illuc,
    (a) Grandior amnis ubi longiùs ire vetat.
Heu! quid agat? Plures a tergo Biſtones inſtant:
    Antè minax fluvius, nullaque puppis adeſt.
Nil trepidat. Geminam manibus fert ille carinam;
    Et nautas ſecum, ſi petat amnis, habet.
Sed non aut nautis opus eſt, aut puppibus ullis;
    Humana nec trans amnis euntis ope.
Hæc timidi quærant. Quæ mecum Numina porto,
    Hæc, inquit, terris, hæc dominantur aquis.
Lætus ad hæc undas ſicco pede tranſilit: undæ
    Sub pedibus ſtantes marmoris inſtar erant.
Interea, certo relegens veſtigia greſſu,
    Venerat ad flumen barbarus hoſtis idem.
Sed tibi nil actum eſt. Tenet altera ripa receptum,
    Quem ſequeris; nec, quà progrediaris, habes.
Tela jacis fruſtra. Telis ereptus, et undis,
    Non ſibi, non oneri jam timet ille ſuo.

Uſque

(a) *Boriſtenes.*

Usque adeo servat Superos, servatus ab illis;
Et ponit tuto pignora sacra loco.
Tu quoque, cui vivum casto stat pectore templum,
Quo fruitur Virgo, virgineusque Puer:
Ah! tibi cum Puero Matrem servare memento.
Hos malè qui rapiat, nî fugis, hostis adest.
Cœtus nescio quos, belli mala grata recentis;
Et comptas facies, & loca blanda fuge.
Illic, ut non sint, sævos tamen esse Gelonos;
Et sævos illic Bistonas esse puta.
Quò raperis, Clio? Siquis formosior adsit,
Væ tibi: jam magni criminis acta rea es.

D. ROSALIA PANORMITANA,

Generosi rerum Omnium propter Deum contemptus Exemplar.

ELEGIA TERTIA.

INdue de Jesu vultu, Rosalia, pudorem.
Nominis, & formæ sit color iste tuæ.
Quin age degeneres frontis simul exue frondes;
Solas in frondes ne decor omnis eat.
Nec vepre jam pigeat formam custode tueri.
Non facit ad mores gratia nuda tuos.
Nec speculum desit: speculum, pulcherrimus ipse,
Pulchrior ut fias, formaque Christus erit.
Audior. Hanc Jesus dignam cœlestibus hortis,
Nunc referam, quanam fecerit arte Rosam.

Vos

Vos comptæ, gaudete, nurus; et comptior illis
   Tu quoque, ſiquis ades, nunc mihi, Niſe, fave.
Non adytis Roſalia ſacris, nec triſtibus antris:
   Ad ſpeculum facta eſt ſanctior ipſa ſuum.
Pectendos en ut præbet de more capillos;
   Pectendos quos non rurſus, ut antè, dabit.
Inde ſibi fingit pexos, et lege ſevera
   Ponit captivas in ſtatione comas.
Nec mora, nec requies; ſed in omni crine laborat,
   Utque ſibi placeat, diſplicet uſque ſibi.
Forſitan et longi nimiùm pertæſa laboris,
   Ferro moroſam devovet illa comam;
Feliceſque vocat, quibus unam comere mentem
   Cura ſedet, nudum velo obeunte caput.
Ergo diu totam ſolers impenderat artem,
   Quæquè comas, poſſet, quæquè decere genas;
Seque putans, quod erat, (quid enim, niſi pulchrior eſſet,
   Conſpiceret vultus, jam ſibi nota, ſuos?)
Rurſus amat Virgo ſimul omnem expendere formam
   Judicio ſpeculi, judicioque ſuo.
Qualis at e ſpeculo ſpecies, Roſalia, redivit,
   Nec tibi jam ſimilis, nec tibi viſa priùs?
E cruce pendentis Jeſu (quis credat?) imago
   Aut fuit, aut viſa eſt; ſed, puto, utrumque fuit.
Olli concretos expreſſo ſanguine crines
   Circumſtant texti, ſæva corona, rubi.
Tum laceri flagris ſqualent immanibus artus;
   Et cruor, et totum vulnera corpus habent.
Talis erat; taliſque tibi, Roſalia, capillos
   Ad ſpeculum, et pœnas exprobrat ipſe ſuas.
Neſcio quid vultu tamen arridebat in ipſo;
   Totus et extremi pallor Amantis erat.

Quis

Quid tibi, Virgo, fuit ſpeciem tunc mentis ad illam.
Quis tibi tunc vultus, mentis imago, fuit?
Hæſit in objecta nil moto lumine forma;
Et ſteterunt comptæ, voce ſilente, comæ.
Nec promptos habuit gemitus de corde, nec ipſas
Ex oculis lacrymas; vellet utrumque licèt.
Erubuit tantùm vultus dejecta modeſtos,
Illo ſe trepidam faſſa pudore ream.
Inde furens animo (ſed enim furor iſte decebat,
Et nunquam in vultu pulchrior ira fuit)
Attonitos, ut erant, ſine lege, ſine ordine, crines;
Præcipuè comptos, qui meruere magis,
Undique ſuccidit. Nec tam ſibi viſa placere eſt,
Dum malè dilectas, fingeret antè comas.
Hinc viduos relegens crines, ſpeculumque reviſens,
Ingemit; atque illis imputat eſſe nocens.
Cur mihi plùs æquo crines placuiſtis inanes,
Et ſtudium, et ſtultæ grande fuiſtis opus?
Cur tua, me miſeram! fallax, mendacia, Vitrum.
Ah! toties oculis impoſuere meis?
Ipſa tamen, magis ipſa nocens; ſpeculique, comæque
Debita culpa mihi, debita pœna mihi eſt.
Ipſa vitrum feci mendax, crineſque nocentes;
Inque leves nugas ingenioſa fui.
Ergo ſimul læſi pœnas ſolvamus Jeſu:
Vos ſemel, id ſatis eſt; aſt ego, donec ero.
Haſque, ait, exuvias capitis tibi, Chriſte, rebellis;
Has malè formoſas, diſſimileſque tuis,
Accipe, Chriſte, comas. Nudo tibi vertice ſiſtor.
Sic tibi Captivam, ſic decet ire Ream.
Ut meliùs, quæ te vexant nil tale merentem,
Conveniant capiti ſpinea ſerta meo!

Ut

Ut meliùs . . ! Sed jam, ſpeculo quam reddis ab iſto,
Hæc niſi forma mea eſt, forma futura mea eſt.
Non alia fingam poſthac ab imagine vultum:
Non alius ſpeculum jam mihi vultus erit.
Dixerat; et, quas in tales non compſerat uſus,
Cum vitreo ſectas projicit orbe comas;
Cæteraque abjiciens pompæ inſtrumenta profanæ,
Et formæ quod pars, auxiliumque fuit:
Ite, inquit, vanæ labor, et ſpes anxia mentis.
Mens nova nil, poſthac tale quod optet, habet.
Sanguine nunc melior decor eſt, lacrymiſque parandus.
Jam mihi nunc lacrymæ, jam mihi ſanguis eat.
Vix ea fata, lares patrios, thalamoſque paratos,
Et curas, et opes, exul honeſta, fugit.
Hinc nemorum latebras, ſyluaſque petit deſertas.
Virgineis locus eſt aptior ille Roſis.
Tanti a te, Jeſu, cerni; te cernere tanti eſt
Pendentem e dura, ſemianimemque trabe.
Conſuleret tales ſi nunc quoque comptior ætas,
Chriſte, tuos vultus, dum parat ipſa ſuos:
Ut minùs ipſa ſibi, meliùs ſibi nota, placeret;
Pulchraque judicio fingeret ora tuo!



D. RO-

D. ROSA VITERBIENSIS,

Magnæ vel teneris ab annis erga Deum Caritatis Exemplar.

ELEGIA QUARTA.

ALtera nunc adſit Roſa; quam non mater Amoris,
Ipſe ſed ardenti murice pinxit Amor.
Pinxit Amor, divinus Amor; Cœloque magiſtro
Primus adhuc teneræ ludus amare fuit.
Jam culto gaudet, jam mœret Numine læſo.
Has adhibet cauſas ad ſua vota duas.
Ah! quoties, dum tota Deo ſuſpirat in uno,
Eſt Matri nugas credita flere ſuas!
Neſcia quem Genitrix puerilibus imputat annis,
Non erat ætatis fletus, amoris erat.
Ah! quoties, parvas dum ſedula conſtruit aras,
Non intellecto Numine viſa frui eſt!
Plus tamen illa videt, quàm quod demonſtret imago;
Et vanæ non eſt, quod parat, artis opus.
Forma cor eſt operis; priùs illic ſtruxerat aram;
Ipſaque ſtructa manu cor ſimul ara refert.
Quin etiam ſimiles annis, animiſque puellas,
Parva Dei vates, ad ſua ſacra vocat;
Cœlicolûmque docens varia ſub imagine vultus;
Et modò, Chriſte, tuos, et modò, Virgo, tuos:
Utri devoveam caſtos, ſcitatur, amores;
Num mage, Chriſte, tibi; num tibi, Virgo, magis.
Illa meos dudum rapuit pulcherrima, dicit:
Antè tamen rapuit pulchrior ille meos.

Inde

Inde manus fingit, vultuſque precantibus aptat;
Quaſquè canant reliquæ, præcinit ipſa preces.
At, veras Templi ſiquando accedit ad aras,
Spectet ubi, niveo qui latet orbe, Deum;
Quas tunc illa preces, ægrique vicaria cordis,
Mittit amans Sponſo dulcia tela ſuo!
Ipſa faces auget votis, ipſa ardet in omni
Lumine: majoris cor facis inſtar habet.
At viſo, magis ipſa calens, tamen invidet igni;
Et cordis flammas increpat uſque ſui.
Dumque, ſacro, ſpectat, quòd thus exardet ab auro,
Plenaque odoratum præbet acerra nemus:
Felices, dicit, qui ſic ardetis, odores;
Quoſquè licet propiùs Numinis ore frui!
Me miſeram! Tantæ non ſunt mihi pabula flammæ,
Nec pius ex noſtro ſic ſalit igne vapor.
Tu mihi, Chriſte, fave. Non ſunt mihi thurea dona:
Sint tibi, Chriſte, preces thurea dona meæ.
Non mihi Panchæo lacrymata e cortice myrrha eſt:
Pro myrrhæ lacrymis accipe, Chriſte, meas.
Non rudis eſt auri, non auri copia facti,
Gemmea non aris dona ferenda tuis.
Sed gemmis, ſed noſter amor tibi pulchrior auro eſt.
O utinam meus hic ſit tibi talis amor!
Hei mihi! cur lentâ torpent mea pectora flammâ;
Quaquè flagrent alji, non ego flamma feror?
Talia ſuſpirat ſecum; ſed plurimus ardor
Haud patitur teneri clauſtra minora ſinus.
Fortior erumpit; laribuſque extracta paternis,
Per medias, Virgo, te jubet ire vias.
Inventi, quò Numen agit, de vertice ſaxi,
Numinis ipſa ſui Rhetora major agit.

Quid

Quid Cœlo, clamat, ſegnes ardemus amantes?
Longa quid in noſtro pectore durat hyems?
Cætera cuncta ſuum Superis profitentur amorem;
Inque ſuo tellus ardet, et unda Deo.
Inque Deum tot habet flammas, quot ſydera, Cœlum;
Totque Deum, quot aves ſunt, canit aura modis.
Et flores, et amant illum ſylvæque, feræque;
Diſcit et in gelido piſcis amare mari.
Et montes flammas, et habent quoque ſaxa favillas;
Et paſcunt ignes ipſa ſepulchra ſuos.
Ingenium res quæque ſui ſimul explicat ignis;
Et, qualis noſter debeat eſſe, docet.
Inſurgit Cœlo ramis felicibus arbor:
Illo quàm vellet poſſe virere loco!
Flors, ut munifico referant ſua gaudia Cœlo,
Oſtendunt riſum florida prata ſuum.
Sunt virides herbæ: color eſt ſperantis in illis.
Alba Liguſtra: Fides, te decet ille color.
Pallet amor Violæ: tuus, o Roſa prima, rubeſcit;
Hei! mihi, cui ſterilis nomen inane Roſæ.
Et nubes lacrymas, et habent ſuſpiria venti.
Lenè dolent auræ, lenè queruntur aquæ.
Uſque adeo ſua ſunt cunctis incendia rebus,
Auctoremque docet Mundus amare ſuum.
At riget in nobis; et, quò plùs cordis in illo eſt,
Hoc minor in noſtro pectore flagrat amor.
Cùmque Deo gratas oſtendant cætera flammas;
Nos homines tantùm frigida turba ſumus.
Sed non in levibus pariter mortalia nugis,
Hei mihi! tam durum pectora frigus habet.
Vix oculos fugiens aut auri fulgor inanis
Obruit, aut ævi lubrica forma brevis:
Hìc

Hic ſtipulæ fumus, et molles ad lumina ceræ;
Et quidquid piceo fortiùs igne calet.
Ditior at quantò, quantò formoſior ipſe es,
O nunquam exhauſti cauſaque, fonſque boni!
Et tamen, heu! quantus friget præcordia circum
Caucaſus! Ut noſtro marmora corde rigent!
Sic ait, et lacrymis voces commendat obortis;
Et mores aljis, quos habet ipſa, facit.
O utinam tales ſaltem narraret amores,
Qua populos longè ſcena canente trahit!
Me miſerum! Vanos canit, et ſimul excitat ignes;
Inde nec auditor, qui fuit antè, redit.
Si ſapis, has ſurdus fugias Sirenas Ulyſſes.
Hinc procul occurret, quem Roſa dixit, Amor.

D. ROSA LIMENSIS,

Virginalis Integritatis, ac voluntariæ corporis afflictationis Exemplar.

ELEGIA QUINTA.

TU quoque præ reliquis, quos nobis India mittit,
Floribus, alba tuas huc Roſa confer opes.
Alba quidem, dixi; ſed et oſtro tincta rubenti:
Qualia purpureis lilia mixta roſis.
Non hæc forma tui eſt, quam malim dicere, vultus;
Quamvis hæc vultus ſit quoque forma tui.
Negligis hanc; et, cùm poſſit neglecta placere,
Ne placeat vel ſic, ipſa latere jubes.

Altera forma tibi, quam malim dicere, cordi eſt:
    Grataque Cœlitibus, grataque forma Deo.
Candorem facit Integritas, Metanœa ruborem.
    Hinc rubra jure mihi, nec minùs alba Roſa es.
Ut tibi mens, longè major puerilibus annis,
    Injicit attonitos ad ſcelus omne metus!
Ut niveos ſervat mores, et neſcia labis
    Pectora, vix noto certa placere Deo!
Vos, equidem credo, teneram docuiſtis alumnam,
    Aligerûm patrio miſſa caterva polo.
Ipſe ſuis, docuit, toties qui viſus ab aſtris
    Ludere cum parva Virgine, parvus Amor.
Nam cur non idem, QUI LILIA PASCITUR INTER,
    Sponſus cum ſimili gaudeat eſſe Roſa?
Ipſe manu flores gerit, et flos pulchrior idem eſt.
    Candidus eſt olli, purpureuſque color.
Hunc amat, huic gaudet caſto Roſa fœdere jungi.
    Jungitur; et ſponſo concolor inde ſuo eſt.
Scilicet ille Roſæ ſpinarum inſpirat amorem;
    Ipſa ſibi ſpinas invenit, ipſa facit.
Jam didicit ſcabrum capiti ſupponere ſaxum,
    Feſſaque vix nudo ponere membra ſolo.
Jam nivei livent artus tortore flagello;
    Jam vexat tenerum dura catena latus.
Nec ſua crux illi deêſt: hanc fert nocte ſilenti,
    Nuda pedes, altâ per loca tecta nive.
Quin et claviculis argentèa lamina denſis,
    In morem ſerti lamina ducta, riget.
Hanc velo tegit illa quidem, ſed et inſerit aptè
    Temporibus, ceu ſit digna corona, ſuis.
Mox adigit clavos toties in vertice, donec
    Vivus ab impreſſo vulnere ſanguis eat.

Ah!

Ah! quoties vultu pallens, et viribus impar,
    Dicitur ad pœnas succubuisse suas!
Ah! quoties ægram præsens solatus amantem est,
    Et pretium simul, et causa doloris, Amor!
Sæpe etiam in se crudelem, et nil tale putantem,
    Increpuit miserans, indoluitque Parens:
Quis demens in te sævi furor arma doloris
    Sufficit? Ah! membris, ferrea, parce tuis.
Quodnam plectendum tam largo sanguine crimen?
    Quænam tot pœnis culpa luenda tibi est?
Imbelles deceant hæc instrumenta puellas,
    Vana quibus nimiùm cura placere fuit.
Quid tibi peccavere comæ, quibus undique sectis
    Plectant, heu! nudum tam mala serta caput?
Cur latus innocuum, cur plenum numine pectus
    Crudeles nodos, duraque vincla ferat?
Me miseram! Quàm non eadem mihi, nata, videris;
    Nec vultus cerno mater, ut antè, tuos!
Quò teneræ decor abscessit, succusque juventæ;
    Et roseus, niveo qui fuit ore, color?
Ah! ne plùs nimio tua te jejunia lædant.
    Ah! ne plùs nimio barbara flagra necent.
Crede mihi, scelus est istos immanibus artus,
    Tale nihil meritos, dilacerare modis.
Ipsam, crede mihi, scelus est sic temnere Matrem;
    Quam tibi nempe sui vult Deus esse loco.
Nec voces, nec tu lacrymas tractabilis audis.
    Hei mihi! cur toties hæc ego vana loquor?
Supplicis, et miseræ saltem miserere Parentis;
    Sitque mei pietas, quam tibi sæva negas.
Ergo duas anima perdes crudelis in una;
    Nullaque cura tui, nullaque matris erit?

Hæc et plura Parens. Placidas tamen obſtruit aures
Virginis, et majus pectora numen agit.
Ergo, oculos ut Virgo, diu tellure moratos,
Suſtulit, accenſo plenior ora Deo;
Eduxitque ſinu parvam morientis Jeſu
Icona, quam ſemper fert memor illa ſinu:
Jamdudum pœnis, Genitrix, majoribus, inquit,
Debueram ſponſo dignior eſse meo.
Scilicet ipſa geram pictos in vertice flores:
Implicitas hirtis vepribus ille comas?
Ipſa ſinu gemmas, et textum penſile collo:
Ille ferat ſævis terga cruenta flagris?
Molliùs ipſa cubem, dura trabe pendeat ille?
Veſtibus ipſa nitens, veſtibus ille carens?
Larga Ceres, dulciſque liquor mihi ſuppetat: olli
Vix ſit in extrema myrrhaque, felque ſiti?
Ah! per ſiqua tibi eſt pietas, quæ plurima certè eſt,
Fida Parens, miſeræ, quam potes, affer opem:
Affer opem pro re memor, et mea vota ſecunda.
Ut referam Sponſum, ſunt mea vota, meum.
Aſpicis hunc, Genitrix. Iterum, precor, aſpice; meque
Argue de nimia nunc feritate ream.
Heu! quàm illi diſpar; quantò, heu! ſum mollior illo!
Me miſeram! cur non, quæ tulit ipſe, fero?
Cur non, ſi Natæ tangunt pia vota Parentem,
Ipſa manus in me, notaque flagra moves?
Cur dulces prohibes (quid enim mihi dulcius illis?)
Optanti pœnas; pœnaque major ades?
Quo potero ſqualore tuos imitata dolores,
Exemplo pergam vivere, Chriſte, tuo.
Sit roſa; ſint ſpinæ, plantis audacibus ibo,
Quà mihi cunque tuo ſemita facta pede eſt.

Di-

Dixit; et in tepidas, ſed quas amor exprimit unus,
    Continuò lacrymas ora loquentis eunt.
Victa Parens, nec, quid lacrymis, dictiſve reponat,
    Invenit; et flentem, flens ſimul ipſa, dolet.
At Vos, qui florem Cypridos decerpitis omnem,
    Cingitis et tenerâ tempora vana roſâ:
Quas datis, heu! memori pœnas, lacrymaſque Tonanti,
    Crimina quem toties veſtra dedere neci?
Quàm vereor, ne vos, longum lacrymanda per ævum,
    Amiſſis maneat ſpina relicta roſis! &c.



Ad Illustrissimum, atque Excellentissimum

D. ANTONIUM BARBADICUM,

Haud multò post mortem Fratris,

Eminentissimi, ac Reverendissimi

*GREGORII S. R. E. CARDINALIS BARBADICI EPISCOPI PATAVINI,

Electum D. Marci Procuratorem ex Merito.

ELEGIA.

ET memori pius ardet amor, superestque sepulchro;
Et sequitur manes pristina cura suos.
Quin etiam, siqua est meritis, ea gratia Cœlo est;
Regnat ubi melior, nec periturus amor.
Huc ades, ANTONI; neque enim nova purpura vultus,
Aut mores, illam qui meruere, tulit.
Vera cano: tu me verum, precor, assere vatem:
Adde fidem citnaræ, carminibusque meis.
Quid dubitas? Tibi visa recens, tibi cognita dicam.
Nil mihi cum Musis, Aonioque Deo.

Nuper

* *Nunc ob insignia Sanctitatis testimonia gaudet titulo* VENERABILIS.

Nuper eras de Fratre dolens, quo Præſule felix
  Urbs Patavî, et reliquis invidioſa fuit.
Hærebant animo ſurdæ nova vulnera mortis.
  Ipſe morâ luctus, curaque major erat.
Nulla tamen magno ſuberat, niſi digna, dolori
  Cauſa: tuas lacrymas nil, niſi Frater, habet.
Non Latiæ quòd ſpes fallens, et vota Thiaræ,
  Haud tulit in patrios grandia fata lares:
Nec quòd nil, præter virtutum exempla, reliquit;
  Solaque de tanto eſt gloria Fratre tibi.
Talia vix animum tangunt, et pectus honeſtum.
  In luctu virtus, nobilitaſque tua eſt.
Quòd tibi, qua totum poſſes oſtendere fratrem,
  Mors nullam dederit, duráque fata moram:
Quòd non ille tuis avidos explêrit amores
  Vultibus, aut ægro dixerit ore, Vale:
Quòd non fraternis animam exhalârit in ulnis;
  Unica magnanimi cauſa doloris ea eſt.
Talia mœrebas tacitus; cùm lumína vertens
  Fraternos vultus, oraque nota vides.
Adfuit e Cœlo, (nunc illi Patria Cœlum)
  Et fuerant ipſo cætera digna loco.
Solis erant oculi, facieſque ſimillima Soli;
  Purpureus chlamydi, qui fuít antè, color.
Inde levi riſu, qualem priùs ore gerebat,
  Hæc dedit, aut viſus verba dediſſe fuit.
Quid longum vultuque foves, animoque dolorem,
  O mihi quem Genitor, ſed mage junxit amor?
Mitte pios gemitus, neque enim tibi cauſa dolendi eſt;
  Nec, quid in hac triſtis veſte queraris, habes.
Triſtitiæ ſatis eſt, ſiquid natura popoſcit,
  Aut Ratio: Ratio nunc tibi plura vetat.

Ergo aljis aliam cum vultibus indue pallam.
Læta sit, et chlamydi concolor illa meæ.
Jam te certa manet vicino Purpura fato,
Emeritos decorat qua tua Roma Patres.
Ut non conveniat meritis, queis debita dudum est,
Illa tuis; meritis convenit illa meis.
Dixerat. Ex oculis tenues sublatus in auras
Invisâ repetit protinus astra viâ.
Hic merito gaudet Cœlo; sed gaudia crescunt,
Dum Fratris mores, lætaque fata videt.
Tu quoque fortunâ Fratris lætare, tuâque.
Instant lætitiæ nomina bina tuæ.
Quod tibi promisit Cœlum, dat, judice Cœlo,
Adria: GREGORII sunt rata dicta tui.
Perge novo Patriæ toti spectabilis ostro;
Et Fratrem nobis hac quoque laude refer.
Usque adeo vestræ stat debita purpura Genti:
Altera, vix una deficiente, (a) redit.



DEI-

(a) *Ex clarissima BARBADICORUM Familia plures fuere D. Marci Procuratores.*

DEIPARA VIRGO,

Venetæ Reipublicæ Patrona, et quodammodo Exemplar.

ELEGIA.

Vidimus Adriacas Cœlo testantia laudes
Sydera: quis Cœli Sydera falsa putet?
Noctis erat medium: [a] lucem nox illa præibat,
Qua tu digna Deo es, Partheni, facta Parens:
Qua simul auspiciis et tu fundata secundis
Parthenidos, medjis, [b] Adria, surgis aquis.
Noctis erat medium; sed nondum pectora curis,
Nondum nox oculos clauserat ulla meos.
Mordax per venas calor ibat: sive juventæ,
Seu veris (sed erat forsan uterque) calor.
Quin etiam studji vestigia longa diurni
Obstabant, posset nequa venire quies.
Quid facerem? Lecto vigilem jacuisse pigebat;
Et suberat somni tristior ira loco.
Scilicet exilui stratis, sævamque reliqui
Impatiens noctem, degeneremque torum.
Inde petens, qua nempe domûs mihi parte licebat
Prospectu Cœli liberiore frui,
Sydereo cepi vultumque, animumque theatro
Pascere; nec somni jam mihi cura fuit.

Ecce

(a) *Diem scilicet Virginis ab Angelo salutata.*
(b) *Urbis nomen, unde Adriaticum Mare dictum est, Urbis illius fit proprium, qua nunc Adriatico dominatur.*

Ecce autem, pictis dum totus figor in astris,
Quà Sol Eois purior exit aquis;
Aut Dea visa mihi, aut certè Dea visa videri est,
Grandior, et toti conspicienda polo.
Illam regali circùm Sol lumine vestit;
Plus tamen ex illa luminis ipse refert.
Par honor est Astris: olli bisseна coronant,
Ast ipsis longè pulchrius, Astra caput.
Nec minùs officio lætatur Luna superbo,
Augustos lambens subdita Luna pedes.
Talis erat Cœlo species mihi visa sereno,
Reginæ vultus, oraque nota ferens.
Nam cui non specie jam sint cœlestis in illa
Reginæ vultus, oraque nota satis?
Jamque genu posito Dominam, Matremque colebam,
Jamque preces illi, votaque sponte dabam;
Cum Juvenis Cœlo pulcherrimus adfuit: urbis
Seu Venetæ Genius, seu fuit ille meus.
Et, bene visa refert magnam tibi forma Parentem;
Quodquè reges, illinc, quod venereris, habes:
Non tamen hæc tantùm divinæ Matris imago;
Hæc simul est (a) Patriæ, dixit, imago tuæ.
Ut sibi sacra tenet Veneti primordia regni
Parthenis, et simili gaudet in Urbe coli;
Illius auspiciis, quæ culpæ subdita nulli,
Adria fert nulli subdita colla jugo:
Illius auspiciis, eadem quæ Virgo, Parensque
Numinis, ipsa etiam Virgo, virûmque Parens.
Aspice Cœlesti reliquas in imagine dotes,
Et Patriæ discas grandia fata tuæ.

Quem

(a) *Elegiam hanc adolescens Venetus Venetiis recitavit.*

Quem circùm fulgere vides pro cyclade Solem,
Justitiæ Solem, si lubet, esse puta.
Hic illi clypeum, nec inanem fingit amictum
Aureus: hic decoris, præsidjique loco est.
Inde refert pretium merito, pœnamque nocenti
Fortior, et solis legibus ipsa minor.
Nec sua jam vitiis pugnat fortuna; nec ullum
Culpa patrocinium, quo foveatur, habet.
Quid quòd et in dubjis, illo de lumine prudens,
Quid teneat potiùs, quid caveatque, videt?
Hinc neque civiles metuit secura ruinas,
Nec patitur vires in sua damna suas.
Hinc vocat infensos in mutua fœdera Reges,
Et partes animos conciliantis agit.
Nec minor augustæ regnat Clementia fronti;
Idque coronati verticis astra docent.
Hæc tua præcipuè, regnatrix Adria, virtus:
Moribus, et populis convenit ista tuis.
Illa frequens gentes tua sub juga sponte subactas
Misit, et in medja pace trophæa tulit.
Illa facit, quòd te populi venerentur, et ingens
Supplicium reputent displicuisse tibi.
Et meritò; neque enim quisquam moderatiùs unquam
Imperii visus fræna tenere sui.
Tu, tibi quos Virtus, et Cœlum subdit, in illos
Reginæ vultum, pectora matris habes.
Sæpius emendas veniâ, et terrore coerces;
Invitâque jacis fulmina rara manu:
Utque domas vinci indociles; sic parcere victis
Fortunæ credis munera prima tuæ.
Sed quid in Adriaca testatur Amazone tristis
Luna, triumphales lambere jussa pedes?

Odry-

Odryſiæ agnoſco vultus, et cornua Lunæ.
    Proh quantus miſeræ pallor in ore ſedet!
Fruſtra ſe tremulis extendit ſplendida ſignis,
    Impiaque innumeros duxit in arma Getas.
Fruſtra collectâ diverſo e littore prorâ
    Helleſpontiacas horrida texit aquas.
Proh! quoties verſas acies, claſſeſque fugatas
    Senſit ab auſpiciis, Partheni magna, tuis!
Proh! quoties pallens, et ſanguine fœda ſuorum,
    Devovit turmas, Adria læta, tuas!
Hinc [a] pacem vultu minor, imperioque precatur;
    Victaque, ne vinci pergat, ut antè, timet.
O nimiùm dilecta Deo, divæque Parenti
    Adria; cui terrâ, cui favet illa mari!
Cui nova fatidico nunc mittit ſydera Cœlo,
    Atque ſuas laudes efficit eſſe tuas!
Talia narrabat viſi ſuper æthera ſigni
    Interpres fidus; nec mihi ſomnus erat.
At ſubitò nox attonitum, Geniuſque reliquit;
    Et ſolito citiùs tunc fuit orta dies.
Felix illa dies, et quæ mihi ſemper habenda eſt,
    Virginis, et Patriæ nomine, feſta dies.



ELE-

(a) Pacem ſcilicet, paucis antè annis Carlovitii, ut vulgò dicitur, in Pannonia fœderatos inter Chriſtianos Principes ac Turcas conſtitutam.

ELEGIARUM LIBER ALTER.



AD SOMNUM.

ELEGIA.

SOmne, veni. Quid adhuc, dulcissime Somne, moraris?
Tempora noctis eunt: nunc age, Somne, veni.
Ut venias, iterum, atque iterum tibi lumina claudo;
Nec tamen, ut claudam lumina, Somne, venis.
Aut, si fortè venis, nec fers mihi munera Somni;
Nec, quem te cupio, Somne, venire, venis.
Vix oculos circum pennis humentibus erras,
Cùm subitò penna præpete falsus abis.
Me miserum! Sic poma famem frustrantur hiantem,
Vanaque Tantaleam deserit unda sitim.
Quod scelus admisi, cur me, dulcissime, plectas;
Et pergas oculos fallere, Somne, meos?
Blanda quies Cœlo est, circùm silet humidus aer;
Et suus in terris omnia Somnus habet.
Et Volucres sylvis, stabulis armenta quiescunt;
Et stabuli custos, & canis ipse tacet.
Garrula vix mecum, de te puto, murmurat unda.
Vix mecum de te flebilis aura dolet.

Debue-

Debuerant tamen hæc (neque enim non tangeris illis)
    Officium nobis conciliare tuum.
Nil tamen ingenuam mihi præstat, ut antè, quietem;
    Nil partes Somnum conciliantis agit.
Sis aliis equidem placidissima mortis imago.
    Dum fugis, ah! quænam mortis imago mihi es?
Cur, idem placidus cunctis, mihi degener uni
    Deficis, et sævi nominis omen habes?
Peccavi, fateor; nam, cùm mihi luce venires,
    Tunc operam libris, carminibusque dedi.
Quæ mea culpa tamen; nisi si mea culpa vocanda est,
    Officio feci quòd satis ipse meo?
Nunc age, Somne, veni. Cur nolis, Somne, venire,
    Nulla tibi causa est. Nunc age, Somne, veni.
Te propter vacuo posui de pectore curas;
    Curaque siqua mihi est, hanc mihi, Somne, facis.
Te dextro lateri, te lævo innixus, et omni
    Anxius exquiro, sollicitusque toro.
Jam solito plures noctis numeravimus horas;
    Longior et solito quælibet hora fuit.
Nec tamen irriguam vultuque, aut pectore noctem
    Sensimus, et nondum, perfide Somne, venis.
Ipse, equidem credo, dormis, Somne improbe, dormis;
    Quodquè aliis debes, nunc tibi, Somne, facis.
Hæc forsan causa est, cur nobis sæpe diurna
    Luce venis: somno nox data tota tuo est:
Tunc ades ingratus meritò; tunc debita Soli
    Lethæâ frustra lumina spargis aquâ.
Si tamen incautis subrepas blandus ocellis;
    Quid tibi tunc lucri, quid tibi laudis habes?
An non sæpe meres risum, dum lumina furtim
    Vincis, ubi sacro Rhetore templa sonant?

An

An non, discipulos quoties in gymnade fallis,
Plecteris; et turpem corripis inde fugam?
Si nescis, lux est, qua non tibi sævior hostis.
Hæc nos præcipuè non sinit esse tuos.
Illa vovet Phœbo mentem, studjisque Minervæ;
Illa vocat vigiles ad sua pensa manus.
At tu nocte veni: noctem tibi, Somne, dicamus.
Aptior officiis convenit ista tuis.
Nocte sumus, tu nocte veni, dormire parati.
Ipse die dormi, si tibi somnus ades.
Me miserum! Quamvis videar mihi dignior illis,
Nocte venis aljis; nec mihi nocte venis.
Et geminam pinguis Damasippus dormit in aurem,
Et pingues rhonchos ebria turba trahit.
Stulte, quid indignos, et non tua dona merentes,
Nocte finis placida, teque favente frui?
Ah! nosco. Similes tibi sunt: tu pinguior illis,
Tu quoque plùs illis ebrius esse soles.
Cur mihi non venias, cur me, sævissime, plectas,
In promptu causa est: sobrius ipse fui.
Sum macer: hæc causa est. Sed, si mihi, Somne, venires;
Vel pinguis possem; vel minùs esse macer.
Ergo, Somne, veni. Quid adhuc, ignave, moraris?
Non alio poteris gratior esse loco.
Ibis ad Excubjas, quæ tota nocte vagantur;
Ibis et ad Steropes, quos grave torquet opus.
Quid facis infelix? Non est locus ille soporis.
Nullus honos illis, nullaque cura tui.
Quin etiam Somnos abigunt aljisque, sibique;
Bellaque luce tibi, bellaque nocte gerunt.
Castra petes; et ibi certas dabis, improbe, pœnas:
Dignus eris pœnâ, si pia Claustra petas.

Mars

Mars jubet in Castris vigiles vel nocte phalangas;
Nocte Deo vigiles dant pia Claustra preces.
Quid facis imprudens? Somno loca noxia quæris;
Et, quæ, Somne, tibi sunt loca tuta, fugis.
Nauta vafer cantu, cantu te durus arator,
(Verte retro pennas) fallere, Somne, parant.
Fallere, Somne, parant Citharæque, et Carmina noctu;
Unde fores vigiles, et via læta sonat.
Et Somno fraus est, et ibi fraus sæpe Pudori est.
Verte retro pennas, et mihi, Somne, veni.
Hinc dolus omnis abest, huc vera voce vocaris.
Hic tibi, Somne, preces, hic tibi vota fero.
At tu, dure, preces; at tu vota, improbe, temnis.
Hei mihi! cui supplex vota, precesque feram?
Nulla mihi, ni tu venias, dormire facultas.
Ferre potest præter te mihi nullus opem.
Totis (me miserum!) vigilo, scis ipse, diebus.
Cur totis merear noctibus esse vigil?
Non ego longa mihi maturæ dona quietis;
Nec precor in multam somnia blanda diem.
Quod superest noctis, Somnus mihi quilibet adsis.
Quid minus orari per mea vota potes?
Ergo paulisper bonus adsis. Ire licebit,
Cùm primùm fuerit Memnonis orta Parens.
Vix aliis tunc nox, et primo debita Somno
Tempora: nunc vigiles mos malè blandus habet.
Scis bene, dispositis ut lucent atria tædis;
Et domus innumeras continet una domos.
Ut compti juvenes, forsan quoque grandior ætas
Spectat ibi comptas, alloquiturque nurus.
Quin ludo, choreisque vacant. Hac scilicet una
In re mollities, et labor omnis abest.

Quis-

Quisnam illic tibi, Somne, locus; nisi fortè remoto
Sicui clàm famulo lumina fessa premas?
Quamvis, exemplò Domini, tenet alea pernox;
Aut vigiles famulos ira, famesve facit.
Ergo adsis nunc, Somne, mihi bonus. Ibis ad illos,
Cùm fuerit madidis Lucifer ortus equis.
Audimur. Jam Somnus adest, blandusque vocanti
Annuit, et secum molle papaver habet.
Jam mihi Lethæâ sparguntur lumina lymphâ,
Lassaque nescio quæ serpit in ossa quies.
At quis nunc trepidas sonus, heu! mihi perculit aures?
Quis strepitum passu nunc faciente venit?
Me miserum! Jam nox abjit, subitòque relictis
Ænea de stratis surgere nola jubet.
Jam properat, primo reserat qui manè fenestras
Impiger, et largo nuntiat ore diem.
Quid faciam? Dum Somnus abest, datur hora quietis:
Esse vigil jubeor, dum mihi Somnus adest.
Surgere nulla mora est. Sed cur, si sola morantis
Culpa fuit Somni, pœna luenda mihi est?
Hæc quoque, Somne, tamen mecum tibi pœna luenda est,
Intempestivæ debita pœna moræ.
Tempora noctis erant: renuisti, Somne, venire.
Tempora lucis eunt: nunc age, Somne, fuge.



IN ILLUD DIVÆ TERESIÆ:

Aut Pati, aut Mori.

ARS CHRISTIANÆ PATIENTIÆ,

Christi Domini Cruci affixi Amore magistro.

ILLUSTRISSIMO VIRO

MARCHIONI FRANCISCO ZAMBECCARIO.

ELEGIA PRIMA.

SUnt etiam (quis enim dubitet?) sua gaudia pœnis;
Nec mors pœna homini est, si velit ipse mori.
Hæc doceas, Cœlo TERESIA docta magistro:
Exemplo doceas ipsa magistra tuo.
Nam quis terrigenas inter satis explicet artem,
Qua tibi dulce pati est, qua tibi dulce mori?
Vera mihi tu Musa, rudem, precor, instrue: Pindus,
Nunc age, Carmelus sit mihi, Diva, tuus.
Audior. Ipse audi mecum, FRANCISCE, docentem.
Et magnas deceat, quod docet illa, Domos.
Ipsa quidem tua te mens recti certa, tuoque
Par generi pietas sat docuisse potest.
Quis tamen affectus satis est sibi doctus in omnes,
Quosquè opus est subigat, quosquè opus ipse regat?
Quis satis adversus casus instructus iniquos
Sola virtutis se tueatur ope?

Adde,

Adde, quòd exemplo meliùs præeunte docemur;
Ardua nec, magno quæ pede trita, via eſt.
Ergo ades, atque artem ſub tanta diſce Magiſtra,
Qua, tibi quæ veniat pœna ferenda, feras.
Jam terras Virgo, curaſque oblita minores,
Nunc animo tacitas, nunc dabat ore preces:
Seque Deo dignam fieri, ſimilemque petebat;
Quamvis digna Deo, quodquè petebat, erat.
Præcipuè, cùm de triſti meditatur Jeſum
Pendentem trunco, pallidaque ora videt;
Ardet amans, neſcitque tamen, quid amantior optet.
Et rogat, et dubitat; ſed magis illa rogat.
Hinc dolor, et mors arridet, dum ſpectat Jeſum:
Hinc dolor eſt vultu, morſque timenda ſuo.
Nunc animo ruit in pœnas, nunc corpore pœnas
Reſpuit: in dubio eſt, hinc timet, inde cupit.
Sic, gemino dum jactatur ratis anxia vento,
Neſcit, utri cedat: cedit utrique tamen.
Excutit illa, Deo quidquid mortale repugnat;
Et, quæ mente probat, vult meliora ſequi.
Terreni ſed ſunt artus, moribundaque membra.
Ut poſſit, jam non eſt voluiſſe ſatis.
Hanc ſpectator amat pugnam Deus, et prece vinci
Vult crebra: crebra vincitur ille prece.
Jamque Deum, gaude, potuiſti vincere, Virgo.
En venit, et votis annuit uſque tuis.
Sumit Amor telum, laterique immergit Jeſu;
Et rubri totum nectaris imbre linit.
Tum miſcet ſacros illo de fonte dolores;
Terque manu mollit, nec finit eſſe ferum.
Virginis inde ſinum petit: (et quis nolit ab iſto
Hoſte peti?) facilem præbuit illa ſinum;

 Ac-

Accepitque libens, et amanti pectore telum.
Non alio telum maluit esse loco.
Vulneris hæc forma est, Christi patientis imago:
Impressam referunt saucia corda crucem.
Nec jam Virgo dolet, sed amat, quæritque dolere;
Inque sinu vulnus, vulnus habente, cupit.
Hinc stupet, et secum jucundo gaudet amaro;
Et sancto tepidas irrigat imbre genas.
Tunc didicit voluisse mori TERESIA. Quidquid
Ex illo cupjit tempore, pœna fuit.

ELEGIA SECUNDA.

ERgo duas tantùm Superos res anxia poscit.
Altera posse pati est, altera posse mori.
Et dum nulla sibi pœna est, ea maxima pœna est;
Cùmque mori nequeat, se putat usque mori.
Nec sanctas sua vota sagax celare Sorores,
Ut cupiat, vultu dissimulante potest.
Fingit amor vultum; cordisque vicarius ægri,
Exit ab invito Virginis ore, sonus.
Siqua dolens lecto jacet, aut extincta pheretro;
Jam non illius, sed sua fata dolet.
Invidiâque calens: aljis exaudior, inquit.
En fruitur votis altera Virgo meis.
O utinam, quod et hanc torquet, quod et enecat illam,
Dicere jam possem: pœnaque, morsque mea est!
Seu spectet nitido labentia sydera Cœlo,
Et reputet, qua sint astra petenda via:
Pulchra quidem vos, Astra, probo; sed parcite, dicit,
Ad vos quæ ducit, pulchrior illa via est.

Vel

Vel nisi pulchra mihi promitteret astra, placeret
　　Ipsa satis, pulchrâ strata subinde cruce.
Ingreditur plenos siquando frugibus agros,
　　Aut ubi vere novo picta renidet humus:
Hæc minùs arva probat; neque sic, ait, arva placetis;
　　Cur non dat jussos impia terra rubos?
Cur bene respondet culpæ, nec semina reddit?
　　Cultori similis debuit esse suo.
Gaudet, si teneras lædant mala gramina plantas;
　　Et placet offenso spina reperta pedi.
Gaudet, ubi stratum foliis paliurus acutis;
　　Herbaque jucundas præstet amara dapes.
Nec tamen ingenuis nihil est, quod discat, in hortis:
　　Hìc quoque pro voto, quod meditetur, habet.
Ipsi etiam flores fiunt documenta dolendi:
　　Signa refert mortis flos quoque, Christe, tuæ.
Hunc legit admirans, oculoque interprete clamat:
　　O Sponsi, Flos, et cordis imago mei!
Sic spinas, sic ille crucem, clavosque trabales
　　Pertulit: hæc in me singula sculpsit Amor.
Seu videat positis surgentia tecta columnis,
　　Et loca divitiis ambitiosa suis:
At nasci Jesus voluit sub paupere tecto;
　　Sub dio voluit, tunc ait illa, mori.
Obvia seu veniat regali fœmina curru,
　　Cui decor, et cultus, pompaque digna Deâ:
Non hæc forma mihi, non hæc mihi pompa necesse est.
　　Quæsitæ veniant, hæc mea pompa, cruces.
Vixdum fera cubat, cùm mors in imagine mortis
　　Jam subit; et pheretrum lectulus ipse refert.
Hìc, veluti moritura, jacet; vultusque, manusque
　　Congruit, et solito pallidus ore color.

Ergo oculos claudens, mentemque in fydera tollens,
Sive mori vifa eſt, ſeu voluiſſe mori.
Mox damnat ſua vota, et inertia fata recuſat;
Et, vix imbelles ſic moriantur, ait.
Non hoc grata loco, non hoc placitura paratu,
Mors, ades: ut placeas, Mors, mihi, ſæva veni.
Sæva veni; qualemque tulit, cui debita morti,
Heu! duræ pretium, cauſaque mortis ego.
Vix tenui claudit curas, et lumina ſomno:
Ecce ferunt curas ſomnia grata novas.
Occurrunt animo meditati vincula Mauri;
Et dat captivas in fera vincla manus.
Sæpe minas, ferrumque gerens, et vulnera, tortor
Vult faciat, fiat ne ſcelerata, ſcelus.
Illa ferox negat uſque, et aperto in pectore dignum
Aptat amans ferro, vulneribuſque locum.
Sæpe etiam audita eſt: quid, tortor lente, moraris?
En tibi, quam poſſis uſque ferire, feri.
Nunc Chriſto comes ire putat; crudeliaque inter
Vulgi probra ſuam ſe quoque ferre crucem.
Jam properat, jam læta tenet feralia montis
Culmina, jam clavis præbet utramque manum.
Mox vigil excutitur; circùmque fugacia luſtrat
Somnia, cum pœnis ſomnia grata ſuis.
Ah! quoties viſi quæſivit ſigna cruoris;
Nullaque quæſiti ſigna cruoris erant!
Ah! quoties eluſa manus extendit inanes;
Invenit et ſolam, quam facit ipſa, crucem!
Quid faciat? Pœnis inhiat noctesque, dieſque;
Nullaque pœna die, falſaque nocte venit.
Ergo, quod ſupereſt, ingentis imagine pœnæ
Et ſpes ſollicitas, et ſua vota fovet.

Lau-

Laudatas priscis annalibus Hèroinas,
Illarumque frequens fortia facta legit.
Has magnæ largas animæ ferus abstulit ensis,
Digna quidem Cœlo pectora, digna Deo.
Induit inde pares animos TERESIA, nec se
Ipsa capit: votis vincitur ipsa suis.
Hìc sectas Agathæ crudeli forfice mammas
Invidet: hìc oculos, Virgo Sicana, tuos.
Et modò Thecla cupit fieri, modò Filia Costi;
Altera quòd flammas, altera passa rotas.
Nec satis hoc illi est; sed in omni Martyre Martyr,
Unanimes pœnas in sua fata vocat.
Nec Decios, nec sat sævos putat esse Nerones.
Plus Amor ingenii, plus feritatis habet.
Ipse Nero, Deciusque, et siquis sævior illis,
Supplicia haud illis invenienda parat.
Suppliciis tamen antè animum, pretiumque paravit:
Plus hinc ingenii, nil feritatis habet.
Quidnî Virgo pati quærat? Sat causa ferendi,
Cur pœnas optet, cur sibi poscat, habet.
Inde tuam quò, Christe, Crucem vel tollere victrix,
Quòve crucem possit victa subire suam;
Ah! quoties vellet patriâ tentare relictâ
Littora, virgineo non adeunda pede!
Nec velis opus est: celeres amor adderet alas.
Sed pudor, et pietas, et Deus ipse vetat.
Ah! quoties vellet, Bacchantis more, per urbes
Spectantum risu, verberibusque peti;
Et pœnas insons alieni ferre furoris,
Et non admissi criminis esse ream!
At votis, qui vota movet, contrarius obstat;
Nec fecisse Deus, sed voluisse, probat.

ELEGIA TERTIA.

Quod licet, oblatas hilaris TERESIA pœnas
 Excipit; et numerum ponderis instar habet.
Nil dolet illa unquam, nisi dum putat esse nocentem;
 Et, cùm visa queri est, ipsa querela fuit.
Seu Boreas fremat hirsutus, seu languidus Auster;
 Nec fervent certas tempora fida vices:
Ipsa vices Cœli varias, frigusque, caloremque,
 Ipsa probat ventos, temporibusque favet.
Sive latens tristi Sponsus sub nube recedit;
 Nec menti fulget, quæ fuit antè, dies:
Ipsa gemit; (quis enim viduæ vetet istud amanti?)
 At gemitum ratio, non sua pœna facit.
Quin tenor idem animo manet, et constantia menti:
 Credas divino nunc quoque Sole frui.
Nec Cœli, nec virtutis solatia quærit;
 Proque Deo gaudet vel caruisse Deo.
Quid quòd sponte novas tunc fert quoque corpore pœnas:
 Usque adeo est animi tædia ferre parum.
Nec contenta suis, veluti miserata Sororum,
 Illarum curas, jussaque pensa subit.
Ah! quoties visa est ad magnos apta labores;
 Nec tamen, ut verum dicere vellet, erat!
Ah! quoties ægram læta se fronte negavit;
 Et tamen, ut verum dicere vellet, erat!
Sic quoque vera fuit; quid enim se diceret ægram,
 Dum gaudens animo, quod magis optet, habet?
Quod si jussa febri cedat, studioque Sororum,
 Nec solo possit sola dolore frui;
Ipsa novas medicæ, qua morbo ferre levamen
 Cogitur, ad pœnas utitur artis ope.

Quæ minùs arrident, trahit haustu pharmaca lento;
Ceu Sponsi manibus pharmaca mixta sui.
Siquid dulce sapit, captans fastidia morbi
Respuit: hac gratum est, quod placet, arte minùs.
Ne noceant febri, quibus interdicitur undis,
Ne diram recreent, abstinet ipsa, sitim.
Tunc etiam fellis liquor, et crudelis aceti,
Aucta sitis, moriens, quo tua, Christe, subit.
Sed levia hæc, et vix magnis præludia pœnis,
Quas parat ipsa suâ, cùm minus ægra, manu.
Dilecta Jesu quoties in imagine vultum
Conjicit, atque animum; nec memor usque sui est:
Instat Amor telo, vulnusque in pectore figit
Altius. Hæc visa est sæpius illa loqui:
Ten' ego, Nate Deo, pro me videoque, feroque,
Heu! toto lacerum corpore, sponte mori?
Nec morior pro te; nec, quos fers ipse dolores,
Ipsa fero; nec par est mea pœna tuæ?
Cur similem tibi me poscis, similemque recusas;
Nec mea te tandem, nec tua vota movent?
Hac trabe cur pendes, si non ego figor eidem;
Exempli nec sum gloria parva tui?
Crux mea si titulo minùs apta videbitur isti;
Apta cruci, tibi sunt nomina plura, meæ.
Siquid ego merui, pœnam pro munere posco.
Si quid demervi, debita pœna mihi est.
Dissimiles tecum video pendere latrones.
Hinc bonus, hinc malus est: dignus uterque cruce est.
Aut hoc ergo crucem, aut illo mihi nomine debes.
Alterutrâ tibi sum parte futura comes.
Hìc alios a te mores, tibi proxima, discam,
In cruce si latro, fòrs tibi fidus ero.

Sed

Sed quid ego pœnas e Cœlo vindice poſco?
Sunt mihi, quæ plectant impia facta, manus.
Eſt mihi; quod mereat, quod amet tua, corpus, Jeſu,
Vulnera: non iſto vulnera digna loco.
Quid dubitamus adhuc? Non hìc, TERESIA, votis
Eſt opus: armatam res petit ipſa manum.
Dixit; et arreptis, nil tale merentia, cædit
Membra flagris: ictus grandinis inſtar eunt.
Hei mihi! Vix ullus ſine vulnere decidit ictus;
Et largo circùm proſilit imbre cruor.
Nulla tamen dextræ pietas: in vulnera ſævit
Fortior, heu! nimiò. Sic tamen illa pia eſt.
Me miſerum! Quid me deceat feciſſe nocentem?
Et tamen ad pœnas horreo, Virgo, tuas.
O utinam, mea tot ſaltem poſt crimina, veras
Ipſe darem lacrymas, conſimileſque tuis!
Nempe dabas tunc et lacrymas, pia Virgo; nec illæ
Pondus habent lacrymæ, quàm cruor ipſe, minus.
Jamque novis ultro vellet ſævire flagellis;
Nec ſatis, ut poſſit jam doluiſſe, dolet.
At lacero deſunt exhauſtæ corpore vires;
Nec par eſt animo ſenſus, ut antè fuit.
Ipſa manu languens, buxoque ſimillima vultum,
Deſeritur genibus, ſemianimiſque cadit.
Neſcio quid tamen ex oculis micat: ardet in illis,
Interpres animi plura loquentis, amor.
Ergo nunc Cœlo, nunc ſancto lumina ligno
Vertit; et hæc tenui voce ſubinde refert:
O ego ſic tecum merear, dulciſſime Jeſu,
Vel patiente pati, vel moriente mori!

CON-

CONSILIA MORTIS.

O Mors, bonum eſt conſilium tuum. *Eccleſiaſtic.* 41.

ELEGIA PRIMA.

Ubique, et ex rebus omnibus nos mori docemur.

Illuſtriſſimo, et Excellentiſſimo

MARCO FOSCARENO.

QUod pridem extincto promiſi munus Amico,
 Mitto tibi, Domino terque, quaterque meo.
Exiguum eſt, fateor; ſed, præter dantis amorem,
 Non uno gratum nomine munus erit.
Materies ſacra eſt: pietas tua gaudeat illâ.
 Gaudeat ingenium carmine: carmen habes.
Siqua leges, vates quæ ſcribere poſſit amico,
 Non domino; hæc illi, non tibi, ſcripta putes.
Hæc tamen ipſe tibi, tua nunc fortuna requirit,
 Ut ſcribam: virtus hæc tua, MARCE, jubet.
Uſque adeo gratum eſt tibi, quod doctumque, piumque eſt;
 Et generi mores convenienter eunt.
Ergo vive diu. Sed nos tamen omnia mortem
 Cùm doceant; doctus vivere, diſce mori.
Obvia Mors cunctis; ſunt omnia mortis imago.
 Aut picta, aut vera eſt quolibet illa loco.
Tendit in occaſum, ſi Cœlum cernis, ab ortu.
 An non hæc vitæ ſemita certa tuæ?

Si Solem prudens, Lunamque, et coetera ſpectes
Sydera, et alternos noctibus ire dies;
Quid non inde tibi diſces, ſine crimine vates,
Et fati verè præſcius ipſe tui?
Quàm bene luce mori me qualibet, Aſtra, docetis;
Ultima ceu mihi ſit quæque futura dies!
Fata tamen quantùm diſtant communia; quantùm
Veſtræ diſſimilis vitaque, morſque mea eſt!
Vobis, Aſtra, mori; vobis licet, Aſtra, renaſci.
At ſemel, heu! miſero mors obeunda mihi.
Hæc Cœlo poteris nulla non luce magiſtro
Diſcere, ſi Cœlo lumina docta feras.
Nec te Terra minùs mortem docet: adſpice terram.
At nimiùm vultus ne trahat illa tuos.
Hìc ſplendent Flores, hìc paſſim gramina rident;
Sed brevis hic riſus, ſed brevis ille nitor.
Flos etiam vita eſt, et [a] *carnis gloria fœnum*.
Una dies nobis exhibet, una rapit.
Hìc flavæ ſurgunt meſſes: falx imminet illis.
Imminet at ſemper Mors tibi falce ſua.
Quid quòd maturas expectat meſſor ariſtas;
Nec ferrum, nondum plenior, herba timet?
Mors etiam virides cædit crudeliter annos;
Mors et vere novo tempora meſſis agit.
Hìc patria ſiccæ labuntur ab arbore frondes
Sponte ſua: ſiccas ipſa ſenecta facit.
An non ad manes, ut ferrum deſit, et ignis,
Tandem homines folii more cadentis eunt?
Hìc valido ſurgunt duratæ robore quercus.
An duri corpus roboris inſtar habes?

Ven-

(a) *Iſaia* 40.

Ventus, et unda tamen validas scit sternere quercus.
Mors erit in robur ventus, et unda tuum.
Siquando celeri videas labentia cursu
Flumina, seu rivi prætereuntis aquam:
Et nos, instar (a) *aquæ*, repetas, *dilabimur*; et nos
Unda rapit veteri non reditura viâ.
Ut fluctum fluctus, trudit lux altera lucem.
Ipsa hæc, me miserum! dum loquor, hora fugit.
Seu mare conspicias sulcatum mille carinis:
Sulcandum nobis hæc quoque vita mare est.
Pars totum velis metitur euntibus æquor.
Pars perit in medio, naufragiumque facit.
Felix, speratum cui Cœli tangere littus
Seriùs, aut citiùs numina læta dabunt!
Non me pulchra vehat spatiosa per æquora puppis.
Si teneam portus, est mihi cymba satis.
Nec longùm vagus ire velim, pelagoque morari.
Stultus amet dubiæ tædja longa viæ.
Me Patriæ vicina juvat cœlestis imago.
Hoc mors nescio quid nomine dulcis habet.
Tu tamen invenies mortis simulacra propinquæ
Jpso, dulcior est quo tibi vita, loco.
Quæ nunc ipse colis; qua tandem sede morentur,
Qui coluere priùs, patria tecta roges.
Dic, ubi sint Atavi, Proavique, et longa tuorum
Majorum series, nobilitasque domûs?
Illustres monstrant, sed inanes, atria vultus.
Vix ullo invenias corpora vera loco.
Dic ubi sint, quorum versas monumenta frequenti
Docta manu, celebres, nomina magna, viri?
Fune-

(a) 2. Reg. cap. 13.

Funera certa solent, et inexpugnabile fatum,
Forsitan in scriptis sæpe docere suis.
Nunc meliùs pergunt non expugnabile. fatum,
Funeraque exemplo certa docere suo.
Nec miseris, cantu Mors blandè victa pepercit
Vatibus: in cantus surdior illa fuit.
Nec pietas aliis, sua nec facundia Mortem
Lenivit: nulla est lenior illa prece.
Hæc disces, et plura, vacans Auctoribus illis.
Optima pars studji est ista futura tui.
Vel memori locus est inter convivia Morti.
Hìc etiam, cineres, quos mediteris, habes.
Jessiades tali conspersit pulvere lances;
Et cyathis lacrymas miscuit ipse suas.
At qua, me miserum! spectacula talia mensâ,
Ut quæras, nunc sint invenienda tamen?
Scilicet invenies illic risusque, jocosque;
Et quidquid memorem, Mors, vetat esse tui.
At simul invenies inter risusque, jocosque,
Illic convivam sæpe fuisse Necem.
Ipsa sibi vitæ causas in tela paravit,
Ingenio nostræ callida facta gulæ.
Nec jam mixta loquor tacitis aconita Falernis,
Aut blandas inter toxica cæca dapes.
Ah! quoties miseros innoxia mensa peremit.
Et victrix prædas Mors tulit inde suas!
Nec minùs admittent meditatam stragula mortem,
Dum tumuli tenebras nox tibi muta refert.
Adde, quòd et frater, quòd Mortis Somnus imago est:
Pluribus, heu! Somnus Mors simul ipsa fuit.
Sed memori melius reputes tua funera lecto,
Dum nondum placidus lumina somnus habet.
Hìc

Hìc oculos claudens, junctisque ad pectora palmis,
Te functum terris, exanimemque puta;
Et tecum: Fòrs quamprimùm sic ipse jacebo,
Extentus rigidis calcibus ante fores,
Ante fores hoc non uni miserabile fiet
Corpus iners, quo nunc fòrs mihi pulcher eo.
Hujus ab aspectu tristem meditabitur horam.
Hujus ab aspectu: sic ego, dicet, ero.
Hinc me conspecto multi sua fata timebunt;
Et discent animæ consuluisse suæ.
Plura loqui tecum poteris, quæ suggeret illo
Tempore mens sapiens, et Deus ipse tibi.
O quantò tunc vita minùs, Mundusque placebit;
Et quidquid Mundus, vitaque mellis habet!
Ista juvent, quos tunc mors rectè vivere tantùm,
Ultima cùm vitæ venerit hora, docet.
Sæpe mori tu disce. Frequens cui Mortis imago est,
Extendet notam mitior ipsa manum.

AD EUMDEM.

Ex persona viri cujusdam Religiosi,

ELEGIA SECUNDA.

Cui reditus in Patriam mortis memoriam ubique excitaverat.

SIC est, quis dubitet? Mortis meminisse necesse est,
Quà minùs ipse putes, cùm minùs ipse velis.
Experto credas. Patriam modò vectus in urbem
Contigeram reduci mænia nota pede.

Quæ nova tunc rerum facies, inopinaque prodit!
Quæ veniunt oculis plurima monſtra meis!
Hìc non viſa priùs Cœlo palatia ſurgunt;
Quòque domus fuerant, larga ruina loco eſt.
Hìc habitus aliis, et vultus gentibus apti:
Vix quidquam ante oculos rurſus, ut antè, venit.
Nec ſatis accipio patrio ſermone loquentes;
Nec patrio videor jam ſatis ore loqui.
Fòrs aliquis: cujas ego ſim; quam denotet urbem
Sermo, peregrinum quem putat ipſe, rogat.
Tunc alibi, aut alia me natum ætate putavi.
Tunc mihi ſum primùm creditus eſſe ſenex.
Attonitus circùm mentemque, et lumina verto;
Et Patriæ recolo compita nota meæ.
Sed jam me poſcunt ad limina nota Parentes.
Ad notam jubeor protinus ire domum.
Jam Pater occurrit; ſed quàm diverſus ab illo,
Qui luſtris fuerat, plùs minùs, antè tribus!
Nec viſus Pater eſt: ſic eſt mutatus ab annis.
Quem vidi nunquam, ſed mage viſus avus.
Illum contemplor: caneſcunt tempora raris
Crinibus, et vultus ruga ſenilis arat.
Ille autem: quid, ait, canos circumſpicis iſtos?
Vicinæ ſunt hæc prævia ſigna necis.
Adſpice nunc Fratrem: toto tibi vertice ſupra eſt;
Et, nos cùm fugeres, ipſe novenis erat.
Si neſcis, pater eſt fœcunda conjuge felix.
Hæc me non uno pignore fecit avum.
Tum mihi tres natum puerum non ampliùs annos
Oſtendens: (reliquos et puer inter erat)
Ille nepos tuus eſt, dixit; puerumque vocavit
Nomine: nomen erat, quod fuit antè meum.
Venit

Venit, et erubuit: Patruum sensisse putares.
    Cognati vox est sanguinis ille pudor.
Me puer hinc oculis metitur amantibus omnem;
    Tum silet, et noto lumina vertit avo.
Doctus ab hoc nostræ sed mox dedit oscula dextræ;
    Pluraque facturus, si modò sciret, erat.
Interiora domûs subeo, sedesque reviso
    Antiquas, oculis jam loca nota meis.
Multa peto vetera oblitus, nova plurima disco.
    Singula solliciti voce, manuque docent.
Sepositus locus est, memini, quo sæpe solebam
    Ducere tranquillos, otia plena, dies.
Struxerat hìc, natos cùm traderet ille Magistro,
    Tecta sagax aljis non adeunda Pater.
Hìc mihi Pindus erat, quoties studuisse juvabat;
    Nec deerant Phœbus, Pieridesque Deæ.
Nec deerant magni, doctissima turba, Poetæ,
    Quosquè recens ætas, quosquè vetusta tulit.
Hos mihi sæpe loqui dulcis labor: hi mihi sæpe
    Exemplum studji, parsque fuere mei.
Hi comites, magnique instar mihi sæpe theatri,
    Lætum secreta detinuere domo.
Ergo, cùm primùm dilectam invisere sedem
    Quæsîssem, veteris captus amore loci;
Fecerat, heu! vitium, propiorque erat usque ruinæ.
    Multiplici stabat vix malè fulta trabe.
Miror ad hæc, scitorque simul, cur nulla jacenti
    Penè loco facilem cura tulisset opem?
At Genitor: nullum vitio mihi crimen in isto;
    Tota, ait, hæc culpa est temporis, atque loci.
Crede mihi, bis hæc jussi tua tecta novari:
    Bis manus artificis, curaque vana fuit.

Tunc egomet tacitus: quis, dixi, credere poſſet;
Ni facerent certam lumina noſtra fidem?
Tempore nata meo eſt domus hæc, me junior ipſa eſt;
Et tamen eſt veteri jam propè lapſa ſitu.
Quid mihi, molle lutum cui fingit membra, futurum eſt;
(e) Ætatis ſi ſunt putrida ſaxa meæ?
Jam ſedeo, dulceſque tero ſermonibus horas.
Scitatur Frater plurima, plura Pater.
Plura tamen Genitrix rogat anxia. Nil ſatis illi
Eſt ſemel, atque aliter ſæpe recurrit idem.
Et ſtupet ad voces, et pendet ab ore loquentis;
Et probat, et gaudet, neſciaque ipſa ſui eſt.
Inde ſuos caſus, et fata domeſtica narrat:
Ut Soror, ut Frater tertius æger obit.
Ut Marulo (ſenior famulus ſic nomine dictus)
Clauſerit extremam mors inopina diem.
Ut ſimili fato vix paucis antè diebus
Occiderit, nutrix quæ mihi Martha fuit.
Ipſa etiam haud pridem ut fuerit jam proxima letho;
Sitque tuæ, Ignati, quod modò vivat, opis.
Hæc Genitrix. At mox, ut reſque, locuſque ferebant,
Et Pater, et Frater talia multa docent.
Quot veteres caſus rapuit non unus amicos;
Et comites quondam, nomina nota, meos.
Hunc mors Pannonico tulit, illum Marte Sabaudo:
Privata rixans concidit iſte manu.
Alter vix biduo febri correptus acuta;
Alter tabe miſer languidiore perit.
Quot labor extinxit, pejorque labore voluptas;
Cùm tegeret primas ver juvenile genas!

Tali-

(e) *Ex Seneca, Epiſt. 12.*

Talibus alloquiis celeres dum fallimus horas,
Curvus adest baculo præveniente senex.
Subridens Genitrix: quà Simon prodiit, inquit;
Bisque novem dorso fert propè lustra suo?
Nil ego noscebam, si demas nomen, in illo;
Et tamen ille mihi est cognitus antè senex.
Ipse autem subitò agnoscens: Ut grandior illo,
Quem puerum memini, nunc mihi, dixit, ades!
Ah! quoties, tibi dum madidis dolor iret ocellis,
Sedisti gremio sarcina grata meo!
Ah! quoties tibi ludus erat mihi vellere canos,
Et barbam tenera perfricuisse manu!
Omnibus intentis aliò, memorabat anili
Hæc, et plura bonus garrulitate senex.
Sed jam vesper adest; et me lex certa propinquâ
Imperat ad sacros nocte redire lares.
Illi obstant, et adhuc multum superesse diei;
Et sacros, repetunt, haud procul esse lares.
Ergo in spem reditûs; cùm vellent usque morari,
Et Genitrix causas quæreret usque novas,
Digredior tandem, longisque amplexibus ægrè
Divellor. Frater fit comes ipse viæ.
Ecce autem vixdum egressis ex æde paterna
Occurrit mediâ flebilis ordo viâ.
Sublatum feretro juvenem contemplor eunti:
Fòrs mihi jam puero est cognitus ipse puer.
Id mecum sub corde, domique audita revolvens,
Vix Fratri voces, jussaque verba dabam.
Scilicet ipse etiam tristis narratio fiam;
Si tamen, heu! de me qui roget, ullus erit.
Ipse etiam e medio fiam spectacula templo;
Si tamen hoc condi mors sinet æqua loco.

Hæc vel ego, vel ſub tacito mihi pectore majus
 Verba dabat Numen; ſed, puto, Numen erat.
Hoc poſthac titulo Patriæ meminiſſe juvabit;
 Quam tamen ex animo deſeruiſſe juvat.
Illa nempe die, quod debuit eſſe voluptas,
 Diſciplina mihi, conſiliumque fuit.
Plus certè Patriæ jam debeo: vivere pridem
 Quæ dederat, meliùs nunc docet illa mori.

ENTHUSIASMUS.

Ut Amicum vanis ab amoribus revocet, Auctor cum ipſo nobilis fœminæ nuper extinctæ ſepulchrum ingreditur.

ELEGIA TERTIA.

HUC te paulisper comitem volo. Tollite ſaxum,
 Quà latet effoſsâ pulchra Lycoris humo.
Et decor, et Veneres, et quidquid Mundus adorat,
 Aut hìc, aut nuſquam, quàm ſit inane, patet.
Dimotus lapis eſt. Geminam nunc ducite tædam,
 Quæ regat incertos, nox ubi cæca, gradus.
Interea mecum tutus veſtigia figas;
 Junge manum comiti, meque ſequare ducem.
Alternos metire gradus: loca ſacra ſubimus.
 Hæc nobis quondam certa futura domus.
Sed jam adſunt tædæ. Cedas mihi, Dave, ſiniſtram;
 Altera eat manibus prævia tæda tuis.
Exiget hæc tumuli craſſas, animique tenebras;
 Hæc geminum nobis afferet una diem.

Quid trepidas, gelidaque minor formidine torvos
    Avertis vultus, oraque mœſta tegis?
Si neſcis, hìc illa tibi pulcherrima rerum;
    Hìc, tibi nota ſatis, magna Lycoris adeſt.
Hæc toti nuper fuerat ſpectabilis Urbi.
    Hanc ut ſpectares, quid tibi vile fuit?
Jam notis oculos, ac mentem vultibus imple;
    Dumque licet, prudens utere ſorte tua.
At quæ (me miſerum!) pallet feralis imago!
    Heu! quàm non eadem, diſſimiliſque ſibi eſt!
Hic, Charitum ſedes, et Amoris gloria, vultus,
    Ut ſubitæ venit lurida præda necis!
Stant vacuæ, fuerant ubi ſydera bina, lacunæ;
    Deformique patet naris hiulca loco.
Quære genas primis certantes floribus, et quæ
    Vincebant teneras mollia labra roſas.
Aurea vincla tibi, nunc crines quære ſolutos;
    Aurea, nunc vinctas, ſic quoque vincla, comas.
Et vultûs flores, et verticis excidit aurum;
    Et referunt turpem tempora nuda ſenem.
Dic age nunc reliquæ titulos, et nomina formæ;
    Cùm Dea, vel certè par tibi viſa Deæ.
Ah miſer, et nimiùm ſtultè miſer! Adſpice, quali
    Colla fluant ſanie, pectora tabe fluant.
Ut circùm ſcateant gentiles undique vermes;
    Ut natet in tabo ſordida turba ſuo.
Exitio pars nulla vacat; ſævamque mephitim
    Exhalant omni putrida membra loco.
Hæc homini, quiſquis fuerit, ſors debita. Quidnam,
    Inſpicis, ex illa, quæ fuit antè, manet.
Illa tamen, ceu Numen, et ipſo Numine coram,
    Nuper Amatorum eſt a grege viſa coli.

Illius in cultus ſtudio patiente locavit
Auxiliatrices ſedula turba manus.
Illius in cultus, et quidquid Gallia fingit,
Adfuit; et quidquid Belgica texit acus.
Quidquid gemmarum fert India, quidquid odorum
Mittit Arabs, vivas corporis auxit opes:
Ah! quoties ſpeculi vanos ab imagine faſtus
Sumpſit, et a vultu facta ſuperba ſuo eſt!
Imbelle, ah! quoties Paridum, ſua tela putavit,
Obſequium; et viſa eſt pulchrior inde ſibi!
Et potuit tot ſpes fieri, votumque procorum;
Et potuit curas promeruiſse tuas.
An non, invectæ curru quò gratior eſſes,
Dulce fuit mediâ turpiter ire viâ?
An non ſæpe tibi magni inſtar muneris, illam
Poſse ſequi propiùs, poſſe videre, fuit?
Plus aliquid jam poſſe datum eſt tibi. Forſan et iſtud,
Hei mihi! jam voti pars fuit una tui.
Tange manu toties laudatam carmine formam.
Æmula ne timeas lumina: ſolus ades.
Collige formoſos cineres, caraſque ruinas;
Et pleno referas ad tua tecta ſinu.
Hic noctes gratare tibi patienter amaras;
Et toties ſurdis tradita vota notis:
Et capiti nocuos æſtivo tempore Soles;
Et vento mixtas, axe rigente, nives.
Quid dubitas? En, quod dudum tua vota petebant,
Huc tandem præſens ad tua vota venit.
Accipe, (jam prohibet pudor hæc mihi tangere nullus)
Accipe de noſtra corpora nota manu:
Me miſerum! Ad tactas animuſque, et dextera ſordes
Excidit; et verbis ſum minor ipſe meis.

Jam

Jam tua conſpectum referunt pallore cadaver;
Jam mea nil vultûs ora prioris habent.
Cedamus tumulo. Tumulo vos reddite ſaxum
Longior hìc nobis pernicioſa mora eſt.
Tu tamen, ah! ne te rapiat fòrs altera, qualis
Hæc fuit, huc memori mente ſubinde redi:
Qualis et in tumulo, repetas tibi ſæpe, Lycoris
Viſa mihi; quævis altera talis erit.

AMICUM EUMDEM,

Jam mortis oblitum, a profana militia dehortatur.

ELEGIA QUARTA.

FAllimur in vitium faciles; pravique tenaces,
Turba ſumus noſtris ingenioſa malis.
Nobis neſcio quam, quæ vincat funera, Famam
Fingimus: ex illâ gloria noſtra venit.
Laudatum ſæclis tranſmittere nomen ituris.
Credimus, et vita nobiliore frui.
Hæc magnum tibi pondus habent. Hinc ultima ſanctos,
Quos habuit nuper, non habet urna metus.
Nec mortis timor eſt, nec vitæ ſanior uſus.
Mutata mores ſunt tibi mente tui.
Me miſerum! Jam te vultûs, animique putâram
Degenerem Mundo, diſſimilemque tibi.
Pallor ubi, et viſo facies cognata ſepulcro;
Et nive frigidior tunc mihi juncta manus?
Mens ubi ſe major, nec rebus amica caducis;
Quæquè Deo mecum vota ſubinde dabas?

Scilicet eſt clauſus tumulo timor omnis in illo;
Et cineres inter vota ſepulta jacent?
Nec meminiſſe potes, quæ nuper viſa probâſti;
Nec tibi mens melior, ſi meminiſſe potes?
Abſtulerant tibi te blandæ mendacia formæ.
At nunc cæcus honor, famaque vana rapit.
Sic quoque, (crede mihi) quamvis ſpecioſiùs, erras;
Et veræ noctis lux tibi falſa loco eſt.
Nunc, ais, in medjis mihi gloria quæritur armis:
Gloria non ullâ conficienda die.
Nec te mille feri terrent diſcrimina Martis;
Nec tibi mors quidquam, quod timeatur, habet?
Prodigus es vitæ, poſſis ut vivere famæ.
Hæc placet, hæc votis ultima meta tuis.
Sed faciles adhibe veteri, caroque ſodali
Huc animos: iterum pauca docendus eris.
Non ego, quòd folio levior, quòd inanior aurâ
Fama ſit, et bello gloria parta, canam.
Ut ſaperent alji, non ultra ferrer; at, ipſe
Ut ſapias, aliâ me juvat ire viâ.
Hoc quiſnam folium, quiſnam hanc tibi ſpondeat auram,
Gloria cui nomen, famaque veſtra facit.
Dic age, quot rapuit teneros mors aſpera Martes;
Quos tamen, et quorum nomina fama ſilet?
Quot Cœlo malè trunca Ducum jacuere ſereno
Corpora, diverſis invenienda locis?
Inde canes paſti, et convivia præbita corvis;
Et tetro pinguis ſanguine crevit humus.
Tu quoque vulturibus peregrinis viſcera ſervas
Forſitan, et canibus bella cruenta paras.
Nil trepidas: ſtimulos famæ, tituliquc cupido
Addit, et invictum Gloria calcar habet.

Siccine plebejas inter, ſine nomine, cædes
Ignota jaceas ſemiſepultus humo?
Et quiſnam turba medium te noſcat in illa;
Nominis aut poſſit certior eſſe tui?
Quiſnam, quòd meliùs pugnâris, dicere poſſit;
Aut ipſo laudet vulnera pulchra loco?
Fòrs aliquis (quod ſæpe venit) pertranſeat illac,
Triſtis ubi nudis oſſibus albet humus;
Horridaque inſpiciens ſævi ſpectacula Martis,
Debeat iratus, quæret, an eſſe pius.
Inter utrumque tamen: Quæ vos dementia cœpit,
O miſeri, quos ſic mors tulit ante diem!
Quid tanti, dicet, vobis fuit; ut cadere ultro
Juverit indignâ ſæva per arma manu?
Hæc meritò, ſed et his, vel ſecum, plura loquetur,
Vel comiti; ſicui fòrs erit ille comes.
Tu quoque cum reliquis fies miſerabilis illi:
Illi cum reliquis tu quoque ſtultus eris.
Ipſe autem, Martem ſecum execratus iniquum,
Diſcet ab exemplo ſanior eſſe tuo.
Diſcet mercari fato ſibi præcoce Cœlum;
Et vitæ meliùs prodigus eſſe ſuæ.
Tu tamen arma tenes, et adhuc ſuperabilis obſtas,
Hic movet extremam Gloria veſtra manum.
Cui non magnanimo vilis jactura ſepulchri,
Si longum populi ſperet in ore locum?
Si ſit in hiſtoria, verſuque legendus in omni,
Perpetuus Phœbi, Pieridumque labor?
Fòrs et Poſteritas quæret cognata cadaver,
Oſſaque honorato condet amica rogo:
Aut magnum ſtatuet, tumuli vice, grata trophæum;
Inque mea famæ conſulet ipſa ſuæ.

Mar.

Marmoreum emerito ponet pro corpore fignum,
Addet et infcriptis bellica facta notis.
Et leget, et noftrum mirabitur advena nomen;
Et fecum in patriam nomina lecta feret.
Infelix nimiùm, cui fpes hæc ultima reftat;
Cui fævi merces funeris ifta fat eft!
Scilicet immemores nullus (mihi crede) Nepotes
Tanget amor laudis, curaque nulla tuæ.
Vix aliquis, (fed et has quis poffit credere laudes?)
Qui biduum de te pauca loquatur, erit:
Vix lacrymas (fed et has quifnam promittere poffit?)
Qui tibi perfolvant, unus et alter erunt.
Plura tibi fruftra fpondes: alia omnia mentem,
Illorumque oculos poft tua fata tenent.
Si tamen aut fculpto vivas poft funera faxo,
Aut memori rurfus carmine victor eas:
Quis fculpto, fi te non novit, marmore nofcat;
Quafquè leget laudes, has putet ipfe tuas?
Quis non et laudes credat mendacia Vatum;
Cognatique pium, marmor, amoris opus?
Adde, quòd excelfis fua funt quoque fata fepulchris;
Et fua mors libris, carminibufque venit.
Nec folo pereunt Heroes corpore: tandem
Illorum nomen, totaque fama perit.
Ergo animæ tibi fit pluris contemptus honeftæ;
Et caufa malis nobiliore mori.
Sunt tibi, quos vincas, propriis in moribus hoftes;
Sunt tibi de vitiis bella gerenda tuis.
Hinc tibi verus honos, hinc gloria vera paranda eft.
Hinc animum, nedum nomen, in aftra feras.
Ipfe Deus fpectator adeft, et præmia monftrat,
Et læto palmas fpondet ab axe fuas.

Ipfe

Ipſe animos facit, ipſe habiles in prælia vires
Sufficit, et facili tela vibranda manu.
Quid dubitas? Agedum, melioribus utere caſtris;
Et Cœlo felix auſpice miles eas.
Ipſe tibi dux, ipſe probo comes omina tanta;
Et mea, ſi tamen hæc ſunt mea, verba ſequor.

ELEGIA QUINTA.

Religioſi hominis letho jam proximi

PRESOPOPEJA.

HÆC erat extremæ mihi meta noviſſima vitæ,
Quæ præſens animo ſæpius antè fuit.
Ipſa tamen, proh quàm differt ab imagine mortis,
Mors mihi jam vultu conſpicienda ſuo!
Summa dies abigit, quas inter vivimus, umbras.
Hæc oculos aperit, quæ teget, hora meos.
Jam mihi præteritos recolo ſapientiùs annos;
Et quanti mundus, totaque vita fuit.
Heu! quæ res votis mortalia pectora vexant;
Et magnum, ſenſu judice, pondus habent;
Quid, niſi, ſunt, vanæ ſpecioſo nomine curæ;
Et vapor, & fumus, prætereaque nihil?
Virtus una manet, morituros cætera linquunt.
Huc bona naturæ, donaque fortis eunt.
Ipſi etiam, qui ſe memores poſt fata ſodales,
Et fore ſe jactant tempus in omne tuos:
Aut ægrum ingrati vicina in morte relinquunt,
Aut nil ſingultu proficiente dolent.

Hei

Hei mihi! Quos habui plures ego nuper amicos,
Turba fuit vitæ, non mea turba fuit.
Tu ſuperes de tot, Jeſu, mihi ſolus Amicis;
Ingeniumque tibi, quod fuit antè, manet.
De cruce ſemianimes, morientis in oſcula, vultus
Sufficis; inque tua eſt hæc mea pœna minor.
Quin et communis præſtas ſolatia fati;
Et jucunda mihi mors mea morte tua eſt.
Ut bene reſpondes, primis dilectus ab annis,
Officiis (et erant hæc tua dona) meis!
Tu me vicini rapuiſti e faucibus Orci,
Incauto peterem cùm loca trita pede.
Tu me jam dubium docuiſti luce magiſtra,
Quæquè tenenda homini, quæquè cavenda via eſt.
Et Scyllam potui, et potui vitare Charybdim;
Et quæ naufragiis ſunt loca nota ſuis.
Quodquè datum paucis eſt, te duce, transfuga Mundi
Militiæ duxi caſtra ſequenda tuæ.
Siqua mihi fuerant, (utinam mihi plura fuiſſent!)
Projeci facili, pondus inane, manu.
Nulla Pater, nulla eſt Genitrix mora: pugnat uterque
Nequidquam; hæc lacrymis fortior, ille minis.
Non Fratres, non me veteres tenuere Sodales:
Heu! tamen exemplo turba timenda magis.
Hæc ego dum facerem primæ præludia mortis,
Altera mors oculos tunc erat ante meos.
Et quoties, quod me blandè revocaret euntem,
Neſcio quid tenero in pectore Matris erat;
Vultus erat tuus hic magni mihi roboris inſtar:
Aſpectu poteram fortior eſſe tui.
Forſan et hæc olim, dixi, meminiſſe juvabit;
Nec jam falſus eram: nunc meminiſſe juvat.

Hæc

Hæc certè ſpecies, et mortis imago futuræ,
Proh quantùm rectis moribus apta fuit!
Seu me cura ſubit vitæ jucunda prioris,
Tædet et inceptam longiùs ire viam:
Sive modos Erebus tentat mihi mille nocendi,
Hinc vafer, inde ferus; ſed vafer ille magis:
Sive mihi pro te, quam non meruiſſe putavi,
Sed tamen et merui, pœna ferenda venit:
Nil unquam longum, nil non leve duximus unquam;
Cujus mors finis, cauſaque Chriſtus erat.
Sic ego ſuſtinui juſſos (ſcis ipſe) labores;
Ut plures idem ſuſtinuiſſe velim.
Nam quis honos, nam quæ ſine te jucunda voluptas?
Quid carum mihi, te præter amare, fuit?
Ergo memor famulo mercedem ſolve paratam,
Si mea commiſſum dextra peregit opus.
Si divina bonus pugnavi prælia miles,
Accedat capiti ſponſa corona meo.
Cur expectati nondum vocor incola Cœli;
Inque diu Cedar finibus exul ago?
Denique quid moror hìc? Cœlum eſt, quò tendere pergo;
Terra relinquenda eſt: utraque longa mora eſt.
Sed quid ego ſequor inſanæ deliria mentis;
Nec mihi vita prior, nec mea culpa ſubit?
Me miſerum! Quid non pœnæ meruiſſe fatebor?
Ætatis quæ pars uſque probanda meæ?
Quid referam virides annos, et lubrica falli
Tempora, vix ulli non lacrymanda ſeni?
Quid lenti pugnas (quæ major cauſa dolendi eſt)
Cordis, et ingratas ad tua juſſa moras?
Quid referam, quæ multa..? Comes tibi nomine tantùm:
Cætera diverſus, diſſimiliſque fui.

Ah!

Ah! memini, nimioque mihi meminiſſe pudori eſt;
Spargitur et toto flebilis ore dolor.
Cur nugas ſum plùs æquo ſectatus inanes,
Et plauſu levior raptus ab ipſe levi?
Annè fuit tanti pars mundi parva relicti,
Et breve neſcio quid, quod placuiſse pudet;
Ut vel caſta levi fœdarem pectora noxa,
Nec magno fierem victima digna Deo?
O mihi præteritæ redeant ſi tempora vitæ,
Et lapſam liceat rurſus inire viam;
Quàm vellem..! Sed jam lucis mihi terminus inſtat,
Et vitæ ratio ſontis agenda mihi eſt.
Jam video ſolium non exorabile magni
Judicis, ac teſtes in mea facta duos.
Lævam hoſtis Stygius, dextrâm cœleſtis Achates
Obtinet; at medio quis ferus ore ſedet?
Fallor? An iratum mihi te contemplor, Jeſu;
Et terrent vultus, gaudia noſtra, tui?
Ergo in me, toties dignatum nomine Fratris,
Judex, abjecto Fratre, timendus eris?
Ergo tot collata mihi tua munera perdas,
Oblitus famuli, cum famuloque tui?
Ergo ſuſtineas me perdere, dulcis Jeſu;
Si, dum me ſerves, eſt tibi vile mori?
Hæc per ego, quæ nunc lacero quoque corpore monſtras,
Vulnera, præſidji pignora certa mei:
Hoc ego præcipuè per apertum Pectus amanti,
Spes ubi non ullo ſtat mea victa metu,
Parce, precor; tituloſque bonus depone ſeveros.
Te mihi Patronum, te decet eſſe Patrem.
Ipſe quidem gnati nomen, juſque omne clientis
Amiſi toties: (heu! ſubit ora pudor)

Ipſe

Ipſe ego te læſi ferus, ingratuſque reliqui;
    Nec veniam lapſus promeruere mei.
Sed repetas animo, quòd ego tibi cauſa laborum;
    Quòd tanti pretium ſanguinis ipſe fui.
Quæsîſti, bone Paſtor, ovem, inventamque tuliſti
    Supra humeros (et erat ſarcina grata) tuos.
Ah! miſeram ne nunc, et adhuc Paſtoris egentem,
    Suſtineas Stygio deſeruiſſe lupo.
Hei mihi! Jam-patulis-jam faucibus imminet ille.
    Ah! trepidam noto protinus abde ſinu.
Ipſa etiam pro me, rerum tibi maxima, Virgo
    Accedat, meritis altera cauſa tuis.
Quid non illa, licèt ſontem, ſperare jubebit?
    Hac, ſi non causâ, judice tutus ero.
O mihi ſpes, Jeſu, prior; o ſpes altera, Virgo:
    O votis gratum nomen, uterque, meis:
Vos precor, hos primùm veteres cùm deſeram artus,
    In veſtras veniat ſpiritus iſte manus.



Dum

Dum * Auctor Venetiis Constantinopolim versus navigaret;

AD AMICOS VENETOS.

ELEGIA PRIMA.

CArmina cui toties (ipsi vos nostis, Amici)
 Currebant facili qualiacunque manu:
Vix lenti mihi nunc versus ducuntur, et ipsis
 Nunc brevior, nunc pes longior alter adest.
Hinc etiam tenues Elegos vix scribere possum,
 Et veniunt claudo carmina nostra gradu.
Forsan et ipsa decet tristes Elegeia casus
 Flebilis, et sensus apta referre meos.
Talis erat pelago vates Pelignus in isto,
 Exul ab Ausonia dum procul urbe fugit.
Causa mihi melior, sed non mihi mitior unda est;
 Nec minor in nostram perstrepit aura ratem.
Illi etiam comites, et eadem puppe sequutæ,
 Pierides sociis indoluere malis.
Et potuit lacrymas, Latiis miserandus amicis,
 Dulcè canens lacrymis elicuisse suis.
Et potuit, cantu doctus lenire procellas,
 Fallere sollicitæ tædia longa viæ:

Nec

* *Eum, Venetiis Rhetoricam tunc docentem, sacris a cõfessionibus adscivit Illustrissimus, atque Excellentissimus Eques (nunc etiam D. Marci Procurator ex merito) CAROLUS RUZINUS, pro Serenissima Republica Veneta ad ACHMETUM Tertium, Turcarum Imperatorem, Legatus Extraordinarius.*

At me crudeles nimiùm, ingratæque Camœnæ,
Heu! vatem possunt deseruisse suum.
Nec jam tristè silens animo lyra subvenit ægro;
Nec promptum facilem fert mihi carmen opem.
Quin, ceu causa mali, Musis incusor ab ipsis:
Hæc mihi præ reliquis pœna dolenda magis.
Ipsæ me profugum, desertoremque queruntur
Sponte mea Pindo terga dedisse suo:
Et, quòd habes, dicunt, ventos, fluctusque sinistros,
Solus es in causa, totaque culpa tua est.
Quæ mea culpa tamen, nisi si, parere volentis
Numinis imperio, culpa vocanda mea est?
Culpa vocanda mea est nisi si, carissima pridem
Tecta mihi, Venetos deseruisse lares:
Et vos, antiqui, mihi pectora fida, Sodales;
Et vos Discipuli, cura secunda, mei.
Quid memorem ante alios, quorum complexibus hærens
Quærebam tardas ad vada jussa moras:
Quosquè alto impressos, quamvis mare separet ingens,
Mecum animo comites, quò feror, usque fero?
Siquis, amicitiæ quid possint vincula, novit;
Noverit, hæc misero quàm mihi dura via est.
Hæc mihi plùs ipsis tangit precordia ventis;
Hæc mihi plùs ipsis pectora vexat aquis.
Et tamen, ah! quænam faciunt mihi prælia venti;
Quot mihi sunt ipsis, quæ timeantur, aquis?
Nunc lævum Boreas, nunc dextrum perfurit Auster
In latus: ambiguæ sævus uterque rati.
Attamen, Adriacæ furiosior arbiter undæ,
Pugnat in eoum sæpius Auster iter.
Quid quòd et adverso proram ferit Eurus ab ortu?
Rarior in puppim, quæ juvet, aura venit.

Viribus ipſe ferox pontus ventique, ſuiſque,
    Fortunam miſeræ, fataque puppis agit.
Nunc illam tumido tollit prope ſydera fluctu,
    Ad Styga nunc fluctu deſiliente premit.
Nunc hanc ille diu partem, nunc jactat in illam.
    Lentior eſt motus, ſævior iſte tamen.
Tunc vertigo caput, ſtomachum mala nauſea lædit;
    Corpus neſcio quis ſerpit in omne tremor.
Nec tunc ſtare loco, nec tunc tamen ire facultas.
    Ut ſedeas; idem te quoque motus habet.
Nec caput, ut lecto jaceas, ſtomachuſve quieſcit:
    Utque nihil comedas, ſic tamen uſque vomes.
Bis talem tulimus puppiſque, mariſque procellam.
    At non iſta tamen ſola ferenda fuit.
Sæva quies pelagi, triſtiſque ſilentia Cœli,
    Eheu! quàm nobis tædia longa ferunt!
Tunc mœſtùm languent homines, et carbaſa: nullam
    Ars ad iter, quamvis ſedula, præſtat opem.
Quodſi vela bonus majora Favonius implet,
    Et Tethys facilem ſternit amica viam;
Tardiùs incedens, noſtræ comes addita, puppis
    Sæpe jubet noſtram tardiùs ire ratem.
Hinc nova cauſa moræ eſt. Sic, quod ventuſque, fretumque
    Dant iter, heu! noſtræ juncta carina vetat.
Quodquè magis doleam, dum ventus vela ſecundus
    Non habet, hinc totam quaſſat, et inde ratem.
Et ſtomacho, capitique, ratis concuſſa, moleſti
    Cauſa fit, ut nuper dicta procella, mali
Plura quidem ſunt hæc; ſed adhuc mihi plura ſuperſunt.
    Hæc etiam vobis ſcribere dulce mihi eſt.
Quantus ſæpe timor nautarum pallet in ore!
    Quantus habet miſeros nocte, dieque labor!

Me

Me quoque major habet terror; ſtomachique tumultus,
Atque animi, pelago convenienter eunt.
Sunt animi majora tamen, quàm tædia ponti.
Hæc mea continuum, credite, vita mare eſt.
Ipſe etiam experior diverſos pectore ventos.
Turbatum pelagus mentis imago meæ eſt.
Africus, et Boreas, et ſiquis ſævior illis
Ventus adeſt, animo fert nova bella meo.
Solus abeſt Zephyrus; nec, quæ ſolet eſſe ſubinde
Fluctibus, et ventis, eſt mihi læta quies.
Aſpicio quoties puppim, contemplor in illa
Me quoque: vexatam fert ratis ægra ratem.
Unda ſequax undam trudit; geminæque carinæ
Vela ferunt ſimiles, vanaque vota Noti.
Hìc tamen (idque aliàs etiam monuiſtis, Amici)
Audio, quid veſtrum forſitan alter ait.
Æolus ipſe mihi ventos, pluviaſque, procellaſque,
Et quidquid torquet pectora noſtra, creo.
Mens mihi cauſa mali eſt. Nimiùm dum cogitat æquor,
Tempeſtas illi, qua caret æquor, adeſt.
Ipſa ſibi, dum plura timet, ſit cauſa timendi.
Ipſa negat, dum non provida quærit, opem.
Hæc vos prudentes, et plura monetis, Amici;
Nec tamen, ut proſint, hæc puto dicta ſatis.
Mens equidem ad pœnas, fateor, doleoque, puſilla eſt;
Militat et virtus pectore curta meo.
Sed ſua ſunt vero non vana pericula ponto;
Nec, qua vos hilares, hac ego puppe vehor.
Hìc ego vos vellem, quorum prudentia major;
Sed ſtabilis domus eſt, et bene tuta quies.
Hìc grandes animos, firmumque oſtendere pectus,
Eſt labor, et magnæ nobile mentis opus.

Esse alacrem facile est, ubi, quod vetat esse, remotum est;
Lætaquæ fortunæ mens habet ora suæ.
Ipse etiam intrepidus, dubiam de littore pinum
Prospiciens, potui dicere: nauta cave.
Velorum nunc pande sinus, nunc collige; Cœlum
Consule: consulto est tuta carina Polo.
Ipse etiam, lætum quæ monstrat Pagina pontum,
Sæpe legens oculis, navita mente fui;
Nec metuens scopulos, quorum mihi dulcis imago,
Vela dedi pictis, cæcaque corda Notis.
At, postquam veram jussus conscendere puppim,
Quid venti, sensi, quid minitentur aquæ:
Ad terras oculos memor, ac suspiria mitto;
Quamquè dedi, revoco, fluctibus antè fidem.
Felices, quibus in solis novisse Poetis
Contigit incerti crebra perîcla freti!
Vos nunquam visum meliùs describitis æquor;
Vestraque sunt placidæ carmina mentis opus.
Nec minùs, unde fluunt, cursu tranquilla quieto est,
Venaque turbati nil habet illa maris.
Quid quòd dulce nemus lætas cantantibus umbras
Exhibet, et rivus lenè sonantis aquæ?
Quid quòd amor cantûs vobis, plaudente theatro,
Crescit, et ingenium conscia turba facit?
At mihi (quod paucis plena conceditur alno)
Sit proprius quamvis, conspicuusque locus;
(a) Vix pro Pierio tristis patet angulus antro,
Nox ubi vel media creditur esse die.
Vix est, quà sedeam; vix est, quâ scribere possim.
Omne loci spatium lectulus unus habet.

Alte-

(a) *Hìc, & alibi, nonnulla Auctor amplificat per licentiam poeticam.*

Altera quin etiam lectum bombarda superstat;
Altera post ipsum, qui minor inde mihi est.
Quæ ruit e Cœlo, qua tergit navita puppim,
Flebilis in nostrum decidit unda caput.
Mille patent vento rimæ: furit undique ventus;
Nec partem, quà non ingrediatur, habet.
Excubat assiduè multus prope limina miles:
Et noctu somnos, et vetat ille diu.
Scilicet historias nunc ridens narrat ineptas,
Miscet et obscœnis impia verba jocis:
Nunc improvisas ludendo surgit in iras;
Inque vicem comiti probra, minasque jacit.
Nunc se fraudatum solito dolet ære, suoque
Haud semel implorat tristia fata duci.
Sæpe aliquis; cui dissimiles tamen inter amicos
Mitis in humano pectore sensus erat;
Clamanti nimiùm comiti: dic mitiùs, inquit;
Nam quid opus vanis astra ferire probris?
Excubat hìc *Frater*, forsan dormire paratus.
Væ tibi, si voces audiat ille tuas.
Scilicet audieram; sed adhuc tamen ille procaci
Invictus perstat non minùs ore loqui:
Et, quisquis sit, seu *Frater*, seu *Presbyter*, inquit,
Audiat; aut aures obstruat ille suas.
Sæpe tamen, dum blasphemus mihi verberat aures,
Et tota miles jurgia nocte trahit;
Impatiens strato exilui, et nil tale putantem
Increpui: voces plura minantis erant.
Ille silet trepidus: dum me tamen ille sopori
Indulgere putat, rursus, ut antè, fremit.
Haud procul hinc vigiles alios tenet alea pernox;
Parsque jacit talos, pars digitisque micat.

Concinit agreſtes inſani Thyrſidis ignes
    Ardens ille ſimul; concinit iſte ſuos.
Eſt etiam lepido ridendus Puſio vultu:
    Hic quoque pars aulæ eſt, deliciumque ratis.
Ut volucrum lætum trahit ad ſe Noctua vulgus;
    Aſpectu reliquos ſic tenet ille ſuo.
Excitat egregios manibus, vultuque cachinnos,
    Simius ingenio, Simius arte ſua.
Ah! quoties, illi nautæ, famulique minores
    Dum plaudunt, triſtis nox mihi tota fuit!
Ipſe quoque invitos ſolviſſem pectora forſan
    In riſus; risûs ſed fuit ira loco.
Sævior at multò (proh quantùm ſæva carinis
    Hæc regnat peſtis!) Mus mihi bella gerit.
Neſcio, quas noſtri cæcas catus ille latebras
    Luce colat tugurî: nocte timendus adeſt.
Nocte metu liber partes excurrit in omnes;
    Fòrs fugit et comitem, perſequiturque ſuum.
Sæpe mihi lectum peragravit mobile pondus;
    Sæpe mihi juſſo culcita mota loco eſt.
Quid mihi in audacem crepidas jeciſſe ſonantes
    Profuit, aut plauſas exagitâſſe manus?
Siſtit ad hæc timidus paulum, taciturſque quieſcit.
    Si ceſſent ſtrepitus, protinus ipſe facit.
Quod caput eſt, miſeras clamor mihi nauticus aures
    Verberat aſſiduè, nec finit eſſe meum.
Mutatur quoties ventus, vox plurima terret.
    Vix tantus capta clamor in urbe ſonat.
Undique concurrunt Nautæ, Lixæque, Caloneſque,
    Extremaque latens ſordida turba rate.
Ipſi augent ſtrepitum, ſeque exhortantur ab illo:
    Adjuvat ille manus, diminuitque metum.

Car-

Carbaſa jam vento ſtrident, et mille rudentum
    Nomina, quos trahit hinc grandis, et inde manus.
Quis mihi, ſi totus tunc adſit pectore Phœbus,
    Scilicet e miſero pectore verſus eat?
Et timor, et clamor, ſtrepituſque, et ventus, et unda,
    Accedenſque aljis ira, dolorque malis,
Impediunt vocem, nedum mihi carmen; et ipſum
    Penè valere mihi, vivere penè vetant.
Ipſe etiam, ut nollet, mecum hìc, puto, Naſo taceret:
    Ipſe etiam, quamvis hìc moreretur, Olor.
Quòd mihi proveniant hæc, quamvis languida, miror,
    Carmina, et auctori penè pudenda ſuo.
Qualeſcunque mihi magnum nunc ſcribere verſus
    Eſt opus: ingenio ſum minor uſque meo.
Parcite, ſi vobis (quid enim celentur amici?)
    Noſtra libens fidâ vulnera pando manu.
Eſt aliquid caris avidos aperire dolores
    Pectoribus: miſero fit minor inde dolor.
Et mihi nunc (animum teſtor veſtrumque, meumque)
    Neſcio quid teneri carmina noſtra ferunt.
Fòrs et, dum legit hæc, dum veſtrum quilibet audit,
    Molle cor, et vultum commiſerantis habet:
Meque vocat pelago dignum meliore; meumque,
    Quale ſibi votis fingeret, optat iter.
Ne tamen ah! me dejectum quis pectore credat;
    Aut deploratas res putet eſſe meas.
Inſueto, quamvis æger, mihi numine ſurgit
    Spiritus; et ſenſu mens mihi major adeſt.
Sunt grandes animi, neque ego mihi noſcor in illis:
    Eſt Deus; hinc poſſum fortiùs eſſe miſer.
Id quoque fas veſtris precibus, meritiſque referre eſt,
    O quorum ante alios jam mihi notus amor.

 Veſtra

Veſtra mihi Superos exorant vota faventes.
A vobis virtus hæc quotacunque mea eſt.
Hinc mihi præſentes vel nunc in amore ſodales,
Deque meo veſtrum cor mihi corde probo.
Pergite; neu memori vobis de pectore cedat,
Vos quoque qui memori pectore ſemper habet:
Utque redux citiùs veteres amplectar amicos,
Expugnate Deum; ſi velit ipſe tamen.
Hæc erit ambiguæ mihi tutior anchora puppis;
Poſt longum felix hic mihi portus iter.

SUB ALLEGORIA NAUTÆ,

Suam Auctor in Aula vitam deſcribit.

AD AMICOS EOSDEM

ELEGIA SECUNDA.

JAM mihi dicta Maris mala ſunt; nunc dicimus Aulæ.
Aula mari ſimilis, nec minus ipſa mare eſt.
Illa ſuas etiam ſemper mutabilis undas,
Et patitur ventos ſæpius illa ſuos.
Et ſcopulos, et habet Syrtes, Stellaſque nocentes;
Quæquè ſuos faciant, ſubdola monſtra, metus.
Hei mihi! Nauta rudis virides horreſco procellas:
Ducitur ignoto nunc mihi cymba mari.
Prudentes alii, veteres et in æquore nautæ,
Vix aliquid, timeat quod ſua puppis, habent.
Et captare ſciunt ventos, et ludere fluctus;
Et ferri obliquâ, fertur ut unda, rate.
Quin etiam ſyrtes, et ſaxa latentia norunt;
Quid pelagi facies, quid levis aura notet.

Hinc

Hinc nunquam adverſo cauti torrente feruntur;
Et jacitur tutis ancnora certa locis.
At mihi prima novi nunc experientia ponti;
Et mea vix placido flumine puppis iit.
Quid quòd et invitus ſpumantia marmora ſulco;
Nec juvat ingenium ventus, et unda meum?
Officio tantùm regitur mihi credita Pinus.
Nullus amor laudis, curaque nulla lucri eſt.
Inde mihi ſterilis facies crudelior undæ:
Inde mihi placido ſæpe procella mari.
Majus ab alterius nec jam mihi robore robur;
Nec metus eſt, alio nil metuente, minor.
Quod miſero proſit, reſpectum conſulo Cœlum.
Stella mihi curſus dirigit æqua meos.
Æqua mihi (quid diſſimulem?) tu, Partheni, ſtella es;
Nec minor eſt Jeſus altera ſtella tuus.
Hinc mea tutelam domina de Virgine puppis
Jactat, et a Jeſu nomine nomen habet.
Ergo, ſeu perflet Boreas, ſeu plumbeus Auſter;
Seu triſtis Nereus, ſeu mihi lætus eat;
Pendet iter Cœlo. Notam ſpectamus ad Arcton:
Hæc me, quid faciam, quid caveamque, docet.
Candida panduntur poſcenti lintea vento;
Quæquè mihi teritur, non niſi recta via eſt.
Nec mea, quam Tacitus præfert, dubiæve peritus
Alter aquæ, fallax Pagina vela regit.
Nec faciles blandus Zephyros mihi portat Ulyſſes;
Nec, quæ Neptunum leniat, ulla Dea eſt.
Si tamen hæc aliquid poſſint, ubi cælibe prudens
Neptunus pelago, nullaque Tethys adeſt:
Hæc placeant aliis; quorum vel ſedula quærit,
Vel timidas defert anxia puppis opes.

Nullam cymba petit, nulla mihi merce laborat:
    Siqua tamen merces, nil gravat illa ratem.
Nil timet hæc ſcopulos, pelago nil debet avaro.
    Cœleſti tantùm littore pondus habet.
Sæpe quidem ventis doleo jactatus, et undis;
    Cauſaque, cur doleam, eſt altera ſæpe timor.
Quàm vereor, ne vaſta levem premat unda carinam;
    Neu cedant rabidis vela minora Notis?
Et ſibi mens, et adeſt puppi: manus altera clavum
    Dirigit, et Superos altera poſcit opem.
Sæpe labor, quamvis validum mihi duret ad illum
    Corpus, obeſt animo, tædiaque ægra facit.
Idque magis, terræ memini ſiquando relictæ,
    (Et quando poſſum non meminiſse?) dolet.
Abſentes, hilaris quondam mihi turba, Sodales
    Sunt modò triſtitiæ cauſaque, parſque meæ.
Vixdum illis miſer amplexus, hæſuraque longè
    Verba dedi; cùm me longiùs unda tulit.
Hoc ego præcipuè crudelibus imputo ventis:
    Hoc, primùm de te quod querar, unda, mihi eſt.
Ah! nimiùm faciles me diſcedente: morantes
    Forſitan in reditum ventus, et unda meum!
Sed tamen hoc ipſum, reliquis licèt ægriùs, æqua
    Mente fero: ſenſum mens levat æqua mali.
Et dabit, ipſe mihi repeto, Deus his quoque finem:
    Forſan et hæc olim me meminiſſe juvet.
Hoc ego dum ſulco pelagus, diverſus ab ipſis,
    Libera judicio vela regente meo;
Fòrs alii rident nautæ, mirantur et artem
    Inſuetamque ſibi, diſſimilemque ſuæ.
Ipſe tamen de me ridentes rideo mecum,
    Et partes meliùs diſſimulantis ago.

Fòrs

Fòrs et nota mihi eſt, cujus vocor inſcius artis;
    Sed non hæc puppi convenit apta meæ.
Quid quòd et hæc aliis, quibus idem pontus aratur,
    Nota ſatis, ſed non ars ſatis apta placet?
Parva quidem; nam tres, aut vix tribus additus alter,
    Turba tamen concors, et ſine lite ſumus.
Hi me ſæpe rogant, quid agendum; ſæpius illos
    Conſulo: ſic ſocia quiſque juvatur ope.
Vos me jam tales animos docuiſtis, Amici.
    Veſtra mihi tutum Pagina monſtrat iter.
Atque utinam vel nunc cymbâ veheremur eâdem;
    Sed non hoc, jactor quo miſer ipſe, mari.
Quo ſiſtam emeritam, dnbium eſt, in littore puppim.
    Sunt mihi adhuc pelagi multa perîcla ſuper.
Spero equidem portum. Si non mihi gratior iſte
    Contingat reduci, gratus et alter erit.
Deſeruiſſe mihi ſatis eſt mare: littora cymbam
    Excipiant tandem qualiacunque meam.



EX

EX URBE CONSTANTINOPOLI

AD AMICOS EOSDEM

Urbis ipſius Deſcriptio;

Et quot ibidem commiſerationis, ac doloris cauſæ Auctori ſuppeterent.

ELEGIA TERTIA.

EN iterum vobis, (jam vel ſine nomine dextram
 Noſcitis) a vobis exul, Amicus adeſt.
Hei mihi! quòd tantùm votis, ac verſibus adſum;
 Dum procul abſentem barbara terra tenet.
Quàm fieri, vobis quam mitto, Litera mallem!
 Invidus ut cogor verſibus eſſe meis!
Felices illi, ſibi ſi noviſſe faventem
 Fortunam poſſint, degeneremquæ meæ!
Et venient, quò dura vetant mihi fata venire;
 Et Veneta poterunt, quà licet, urbe frui.
Me quoque non minor Urbs, ſed ubi tam vivere amara eſt,
 Iſtic quàm vita eſt vivere dulcis, habet.
Hæc olim, cùm res meliùs Romana vigeret,
 Invida nil primæ Roma ſecunda fuit.
Europam, atque Aſiam, nimioque a Sole calentem,
 Sceptra tenens longo tempore, rexit humum.

Nunc

Nunc quoque, Threycio dum subditur ipsa Tyranno,
Quot regit imperio subdita regna suo!
Et, quamvis illi terrâ sit gloria major,
Imperio gemini est ambitiosa maris.
Euxinum Boreas, Ægæum sufficit Auster:
Albus hic Oceanus dicitur, ille Niger.
Distat ab Euxino Urbs spatio sejuncta minori:
Thracius id spatii Bosphorus omnis habet.
Longiùs Ægæum est: jacet interjecta Propontis,
Quoquè soror Phryxi est naufraga facta, fretum.
Urbs ferme triquetra est. Geminum latus alluit æquor:
Quod superest, solida continuatur humo.
Ipsa triumphalis pulcherrima more theatri
Eminet, et longè conspicienda venit.
Quid quòd clementis jucundior indole Cœli,
Fertiliorque sui est commoditate loci?
Credite: quæ reliquas, quamvis divisa, beatas
Efficiunt Urbes, Urbs simul una tenet.
Præsidjis certâsse suis elementa videntur,
Dignior ut fieret Cæsare Roma suo.
Frugibus est tellus, fœcundum piscibus æquor:
Aer omnigenas ducit amicus aves.
Penè Urbes totidem, numerosa Suburbia mitto;
Nomina vix quorum dicere longa mora est.
Centum una, atque ultrà stadjis amplissima circùm
Urbs patet; et populum vix capit ipsa suum.
Quid quòd et hic quævis terrarum natio sedem
Invenit, et magna est orbis in urbe minor?
Littus ad hoc veniunt quovis a littore puppes:
Qualibet externæ puppe feruntur opes.
Ipse juvat Portus; quo non securior alter
Navibus, aut nautis pulchrior alter adest.

Hæc

Hæc bona ſunt Urbis; ſed non ita lætus ab illis,
Pluribus ut non ſim triſtior uſque malis.
Urbe frequens, Peſtis (quis crederet?) hoſpes in iſta eſt.
Inde ſuas clades quilibet annus habet.
Illa tamen toti ſolitò fuit acrior Urbi,
Adventum binis menſibus ante meum.
Jamque mihi, nondum extincti vis lubrica morbi,
Prudens ſolliciti cauſa timoris erat.
Nunc, licèt Urbs aliqua tantùm vix parte laboret,
Et minor a longa ſit mihi peſte metus;
Major in urbe tamen peſtis: ſuus accola, peſtis
Major adeſt urbi, nec metuenda minùs.
Hei mihi! (a) Quàm ſævos vultus, torvùmque minantes;
Quos Odium, et Terror, quos amet Ira ſuos!
Marmorei tales iſtic finguntur Atlantes,
In magnæ ſpeciem, ſubſidiumque domus.
Non tamen ex vero Mentor ſatis exprimit illos:
Plus hi terroris, plus feritatis habent.
Tales Tiſiphone, dum torquet verbere ſontes:
Tales, bis nulli viſa, Meduſa gerit.
Par animus formæ, ſi non crudelior ipsâ;
Vultibus et mores convenienter eunt.
Non intellectam quid opus mihi dicere linguam?
Convenit ingenio barbara lingua ſuo.
Rugitus, voces hominum, fremituſque videntur:
Sic ſonat Urſus atrox, ſic ſonat hirtus Aper.
Prolixus præfert aliquid gravitatis amictus:
Faſtus ineſt illi, barbarieſque tamen.

Bar-

(a) *Hæc dicta per hyperbolem; cùm Turcarum plerique inertes potiùs ſint, & quieti, quàm terribiles, ac permoleſti.*

Barba vel intonſo cadit illis horrida mento;
Linea vel torvo prominet ampla labro.
Tale quid et tunicæ nobis, barbæque gerendum eſt,
Dum ſumns hìc: iſtud moſque, locuſque jubent.
Jam mihi ſylua hirti dudum eſt incædua menti:
Hæc me nec juvenem, nec probat eſſe ſenem.
Quin et barbaricâ, qualem gerit Armenus iſtic,
Plena peto populo dum loca, veſte tegor.
Nec minus Illyrico tunc tempora claudo galero,
Diverſus Turcis, conſimiliſque tamen.
Utque minùs timeam, cuſtos datur, ipſe timendus:
Nempe mihi dubiæ duxque, comeſque viæ.
[a] *Janniſarum* Franci, ſimili quoque nomine Turcæ,
Altera ſi fiat ſyllaba longa, vocant.
Ille mihi, nequis ſiſtat, vel lædat euntem,
Et facit, et tutum præſtat amicus iter.
Ipſe tamen, fateor, comes it mihi ſemper eunti,
Quamvis ille vetet me timuiſse, timor.
Incedit trepido talis Judæus apella
Lumine, dum veſtras nix tegit alta vias.
Sæpe jocos de me, metuendos ſæpe cachinnos
Audio; ſed patiens, ſed propè ſurdus eo.
Quin lapides metuo; vel ne nucibuſve, lutove,
Quæquè odjum pueris ſuggerit arma, petar.
Saxa ſemel jecit puer improbus: inde, videntem
Janniſarum metuens, dat ſua terga fugæ.

Hic

(*a*) *JANIZZARUM. Quò tutiores per urbem Conſtantinopolim incedere poſſint, comitem, ac ducem adſciſcunt nonnulli, alterum e Janizzaris, quorum plures ad Domos Chriſtianorum Oratorum excubare ſolent. Francorum nomine vocantur ibidem Chriſtiani omnes Latini.*

Hic tamen insequitur; sed ego desertus ab ipso,
    Hei mihi! plùs timui, causaque major erat.
Scilicet, ut plebis mos est in casibus istis,
    Me circum subitò plurima turba fuit.
Nullus erat, turba qui pro me staret in illa:
    Tota favens puero est, commiseransque suo.
Me miserum! Nec me poteram satis ipse tueri,
    Et vindex iêrat longiùs usque meus.
Ut rediit tandem, rediit mihi spiritus, et mens;
    Et melior turbæ tunc mea causa fuit.
Sic mihi vel tuto metus est; semperque videtur
    Quælibet in media longior urbe mora.
Inde domum repeto; comiti sua strena paratur:
    Hoc etiam pretio tristis emenda via est.
Siquis, præ reliquis quidnam spectabile rebus,
    Quærat, in hac oculos impleat urbe meos:
Non ego Threycii miror magna atria Regis,
    Aut loca securo non adeunda pede.
Nec me Templa tenent centum suffulta columnis,
    Cultoris vitio Templa profana sui.
Bizantî memores, quamvis periere vel ipsæ,
    Cernere relliquias, hæc mihi cura prior.
Perdidit, heu! veterum monumenta quot inclyta Regum
    Tempus edax, nec edax tempore Turca minùs!
Vix aliquid trunci corroso nomine saxi;
    Est aliquid facti vix super æris adhuc.
Magnorum, làceros, testes hinc inde Penatum,
    Cernere nunc muros, ruderaque ægra licet:
Et steriles passim surgunt per lata cupressi
    Compita, quo fuerant marmora sculpta loco.
Divinæ stat adhuc ædes jam sacra Sophiæ,
    Parte licèt magnâ diruta, magna tamen.

Versa

Verſa ſed inſanæ jam Relligionis in uſum,
    Plus miſeræ, quàm ſi tota jaceret, habet.
Hic ſtatus, heu! lætæ quondam, triſtiſſimus Urbis
    Spectari madido cuì minùs ore queat?
Cætera quid memorem, quæ noſtrum viſa dolorem
    Augent, et lacrymas ſæpius ire jubent?
Viſa mihi nuper captivæ ergaſtula turbæ.
    Eheu! ſub duro quàm gemit illa jugo!
Neſcio quis turba viſum me novit in illa.
    Ah miſer! Ipſe tamen nil mihi notus erat.
Oſtenditque ſuas manibus, vultuque catenas;
    Quaquè ſilens potuit voce, rogavit opem.
Mota mihi tenero tunc ſunt præcordia ſenſu,
    Hoc quoque, quòd juſſam ferre vetabar opem.
Ergo, mihi tantùm quod reſque locuſque ſinebant,
    Auxilium vultu commiſerante tuli.
Ille tamen nudum vultûs, mihi gratus, amici
    Officium ſenſit; ceu minùs inde miſer.
Forſan et, hæc, reputans, quàm ſit mihi diſſona tellus,
    Indoluit caſus, triſtior ipſe, meos.
Cui non hæc, et plura, mihi quæ dicere longum eſt,
    Scilicet hoc, faciant, vita ſit ægra loco?
Hoc ipſi, fateor, comites pelagique, viæque,
    Sæpe dolent mecum, ſæpe queruntur idem.
Ut ſit quiſque tamen terrâ miſerabilis iſtâ,
    Ipſe mihi videor quolibet eſſe magis.
Cætera proſpicio, mea me infortunia tangunt;
    Forſan et hæc aliquid, quod magis angat, habent.
Detinet hìc alios laudis, lucrive cupido.
    Nulla mihi laudis, nulla cupido lucri eſt.
Quid quòd nullus honos hìc noſtris, nullaque merces
    Artibus? Ars uni vix mihi nota mea eſt.

Incolumes animo plerique, aut corpore gaudent.
Aſt animi, nedum corporis, æger ego.
Hìc, quid agat, certus ſua quiſque negotia tractat.
Nil ego, ſi, quid agam, diſcere vultis, ago.
Ut tamen inviſi (nam mens gravioribus impar
Eſt ſtudjis) fallam tædia longa loci;
Carmina nunc Latio, nunc Tuſco carmina plectro,
Præcipuum triſtis ſunt mihi mentis opus.
De re materies eſt verſibus obvia quavis;
Sors mea materies ſed tamen apta magis.
Nunc caſus deſcribo meos, cauſamque gemendi,
Ipſe gemens, metro conveniente cano.
Nunc meditor Volucrem: (captiva auditur in aula,
Deque ſuo volucris carcere læta canit.)
Me miſerum! Quàm non dulcis mihi carcer, ut illi, eſt;
Inque meo ſolus concinit ore dolor!
Nunc Italos comites reputo, ſanctoſque Penates.
Hìc mens, hìc animus, totaque Muſa mea eſt.
Sæpe mihi veteres amor eſt evolvere vates;
Ut nunc iſte magis, nunc magis ille placet.
Mox tamen et verſus, et ſunt mihi tædia vates;
Quodquè modò juvit, poſtmodò lædit idem.
Optatas ſic antè, dapes moroſior æger
Reſpuit; eſtque famis neſcius ipſe ſuæ.
Sæpe etiam caſus reputans Urbiſque, meoſque,
Triſtia Bizantî comparo fata meis:
Nec melior, (ſi parva datur componere magnis)
Sæpe Urbi repeto, ſors mea ſorte tua eſt.
Credo equidem, noſtri forſan miſeratio tanget,
Siquem ſors Urbis, duraque fata movent.
Illa jugo dudum Turcarum invita tenetur:
Invitus teneor mœnibus Urbis ego.

Illa

Illa ſui perfert domini jam barbara mores:
Urbis ego mores, barbariemque fero.
Quàm velit illa ſacris reddi, dominiſque Latinis!
Ad te quàm, Tellus nota, redire velim!
Eſt aliquod mihi, cùm doleo, ſolamen ab illa:
Et mihi fòrs debet, quòd dolet illa minùs.
Talis apud ſtratæ Marius Carthaginis arces
Dum trahit ignotos, exul ab Urbe, dies:
Illa videns Marium, Marius Carthagine viſa,
Solamen fati ſenſit uterque ſui.
Nos etiam pariter miſeri, pariterque jacentes,
Parcimus ambobus Numina læva queri.
Noſco equidem (noſtri eſt nec tanta ſuperbia fati)
Nil, Urbi, & Mario ut conferar, eſſe mihi.
Hoc ipſum tamen eſt, tam magnos ipſe dolentes
Reſpiciens, meritò cur doluiſſe veter.
Sic mihi conſpicuis, nulla medicabilis arte,
Luditur exemplis, decipiturque dolor.
Atque utinam hac vafrum poſſem ſopire dolorem
Arte memor, quoties reſque locuſque petunt!
Sæpe levant aliis triſtes convivia curas,
Quiquè frequens aulæ nobilis hoſpes adeſt.
Ipſe, dolens quamvis, alios tunc induo vultus,
Diſſimiles animo, conſimileſque loco.
Sed, licèt hoc unum ſimulem, ſimulare negatur
Hoc unum: vultu prodor ab ipſe meo.
Dumque rogor, quid agam; fruſtra, quæ pectora celent,
Reddo ſagax voces, oraque læta gero.
Neſcio quas animi voces legit Aulicus ægri;
Quoſquè videt vultus, hos negat eſſe meos.
Quid quòd nunc unus, nunc alter carior, (omni
Ex aula tales ſunt duo, treſve mihi)

Sæpe meum conclave petit, me ſæpe reviſit;
Et fido gaudet triſtior ore frui.
Tum mihi mœſta ſui referat penetralia cordis;
Quidve magis doleat, quid timeatve magis.
Quà licet, ipſe juvo miſerum miſerabilis; ægro
Ipſe fero, quamvis ſim magis æger, opem.
Virtutis meritum in duris, finemque malorum
Felicem; atque aliter talia multa loquor.
Hei mihi! quòd proſint, nil proficientia noſtro,
Alterius morbo pharmaca noſtra, puto.
Cùm doleo, ipſe mihi hæc repeto, mecum ipſe revolvo;
Ipſe tamen mecum perſtat, ut antè, dolor.
Ille autem facilis rationi ſæpe medenti
Annuit, et noſtra lætus ab arte valet.
Nî juvet et ratio, (nam quando ſola dolorem
Vincit?) ab exemplo vincitur ipſe meo:
Dumque magis miſerum diſcit, minùs ipſe videtur;
Nec dolet, expendit dum mala noſtra, ſuis.
At mihi, ne doleam, medico majore neceſſe eſt.
Me miſerum! monitis ſum minor uſque meis.
Ah! quoties (hæc apta meo medicina dolori eſt)
Vos mihi præſentes, conſpicuoſque puto;
Et, tanquam, quid ego valeam, quid agamve, rogetis,
Effuſis recreo pectora laſſa malis:
Nec vereor tutis deponere cordibus, et quæ
Nunc aljis prudens explicuiſſe vetor.
Hæc ego dum narro; nunc admiratio veſtros,
Nunc pietas vultus, iraque dulcis habet.
Nunc alios tacitè, nunc accuſatis amicè
Me quoque; ceu fati ſim reus ipſe mei.
Mollia prudentes miſcetis dicta ſubinde,
Triſtia narrantis fit minor unde dolor.

Ah!

Ah! quoties et vos videor mihi cernere, noſtro
De reditu certos non patienter agi.
Anchora vix jacta eſt, vix ſtat bene littore puppis:
Præſentes ſiſtit vos mihi cymba minor.
Affectus quis tunc numeret veſtroſque, meoſque?
Promptius eſt veſtros, quàm numerare meos.
Metiri me circùm avidis obtutibus omnem
Pergitis; atque oculi pondera vocis habent.
Vix, adſim fidis quanquam ſat notus amicis,
Sunt tamen hi vultus, oraque nota ſatis.
Attonitos vobis oculos, animoſque morantur
Et macies, et qui pallor in ore mihi eſt:
Præcipuè nec viſa priùs, nec credita forſan,
Hæc mea par annis, annua barba, decem.
Hinc, quod iter mihi, qui terræ, pelagique labores;
Vitaque quo fuerit, quæritis, acta modo:
Qui Turcis mores, qui ſit vultuſque, colorque:
Quid mihi in hac meritò grandius Urbe fuit?
Ipſe loquar numquid Getico ſermone: Tyrannus
Turcarum viſus ſæpius annè mihi?
Contrà poſcenti mihi plura reponitis ipſi;
Et veſtra, primùm, quid ſit in urbe novi.
Ut reliqui, vos ut primi valeatis amici,
Exilio ſemper nomina grata meo.
Ecquid agant, fòrs ipſe rogem poſt cætera, noſtri
Ignaros quos nunc, immemoreſque puto.
Jam bene, quos dicam, tacito vel nomine ſcitis.
Hei mihi! diſſimiles quàm reor eſſe ſui!
Proh quàm ſic notas audire, et reddere voces,
Abſentis penſet tædia longa moræ!
Ne tamen, ah! claudo veniat Spes anxia greſſu,
Vos etiam votis addite veſtra meis.

Quàm vereor, ne, si reditum mihi fata morantur,
Credar, agens quartum post tria lustra, senex!
Forsan et hæc vobis jam nunc, ut cætera desint,
Carmina me referunt, vix sene digna, senem.



SER-

SERMONUM

LIBER UNUS.

SERMONUM
LIBER UNUS.



AD AMICUM,

Qui Poetam fruſtra hortabatur, Sacerdotio propediem initiandum, ut Satyras ſcriberet.

SERMO PRIMUS.

T Satyras ſcribam, fruſtra poppiſmate crebro
Mollius hortaris; fruſtra majoribus urges
Obſtantem ſtimulis. *Amic.* Facilis tibi ridet Apollo
Obliquis ſalibus, nec vafri parcus aceti.
Præterea vel nolenti nunc plurima falci
Occurrit ſeges, et trivjis innaſcitur ipſis.
Non opus, ut quondam, Venuſinâ intrare lucernâ
Atria Trojugenûm, ac timidæ penetralia culpæ
Scrutari. Vitjis facies, et gratia major
Mollibus acceſſit. Priſcum irridentia morem
Italiæ, gaudent jam Sole, et nomine honeſto;
Ex quo Tyrrhenos infregit Gallia mores
Comptior, et totum corrupit Sequana Tybrim.
Quanquam plùs æquo culpatur Gallia. Non eſt,

Non

Non est illa nocens morum, quos fecimus ipsi.
Suggerit illa viros plures galeâque, togâque,
Et plures Phœbo insignes, et Pallade. Sed quid
Illinc avectum Ausonidæ flagrantiùs optant;
Quàm leges cultûs varji, crinisque parandi:
Quàm pictos Parides, similesque Heroidas ipsis,
Inde futura viris, nuribusque exempla Latinis?
Annè ignavus ad hæc lento tibi stertat Apollo,
Pierides que canant hortos, et prata puellæ?
At nonnulla togâ prohiberis dicere nigrâ,
Quæ (a) *Rosa*, quæ nitido (a) *Sectanus* pingere versu
Nil timeat: Tua jurato desponsa Pudori
Calliope, obducto vix quædam ostendere velo
Fas habet, ac timido cautè perstringere versu.
Ingenium Musæ probo, consiliumque severæ.
Atque utinam tales essent, qui, molle videri,
Sæpe docent alios vitium; dum pingere nudum,
Ridendumque suis monstrare coloribus audent!
Est quædam Satyræ reverentia. Nomine solo
Plura nocent, verbis vix execranda Latinis.
At quisnam timor est, quæ non est gloria castæ
Calliopes, dignam vitiis, quæ dicere salvâ
Fronte queat, satyram, sanctumquè indicere risum?
Felices nimiùm, nî carmina nostra timerent,
Cùm metuant aliunde nihil, qui prædia jactant,
Surgentesque lares Cœlo, turbamque sequentem,
Et rident miseros; postquam clausere tabernam
Emeritam, soboles ipsi nuperrima terræ,
Munere Fortunæ quamprimùm ex arbore Julî!
Qui, pleni quamvis madeant sudore theatri,

Exi-

(aa) *Satyrici insignes; prior Etrusco versu, alter Latino.*

Exiguâque duos numerent pro ſede Philippos:
Pluris ſemiviri vocem, citharamve Bathylli,
Et longè pluris tenerùm Sirena canentem;
Quam ſacri eloquium faciunt Demoſthenis, etſi
Hic ſcamna expectent nulli metuenda crumenæ.
Quid memorem doctos intra ſuſpiria vatum,
Et ſcriptas Tuſco hiſtorias ſermone, loquentes
Dogmata Aquinati vix extricanda Magiſtro?
Quid, cum fœminea ſolitos conſidere turba,
Regum Cenſores, et flavo crine Catones?
Hæc facient vati laudem, ſi vindice plectro
Excutiat, vitiiſque ferat ridendo pudorem.
Poet. Hæc, et plura ſimul ſurdo importunus amico
Sæpius inculcas. Nunc paucis accipe, quæ me
Deterrent. Primùm ſtudjis gravioribus omnis
Addicenda mihi nunc mens, jamque occiput amplâ
Quamprimùm mihi conſpicies albere coronâ.
Nec jam tam præceps ſanctas operabor ad aras;
Quàm bonus ille tui nimirum Myſta ſacelli,
Qui peragit quadrante ſacrum, ſi longius, uno:
Nec mora, cum reliquis, quid rerum Hollandia, quidve
Aut Rhenus ferat, aut Tameſis, ſcitatur, et audit.
Quippe horæ integrum ſemiſſem impendere ſacro
Stat certum mihi: tantundem propè temporis ibit,
Aut paulò plus, dum ſe ſe mens colligit antè,
Dumque eadem grates, ſacris operata, rependit.
Adde, quòd (appendix hæc tunc operoſior urget)
Sæpius et Titii noxas, et crimina Caji,
(Namque aljis Cajas ultro, Bertaſque relinquo,
Quarum debetur gerris prudentia major)
Juſſus ero, ut minimùm, feſtis audire diebus;
Atque illis tacitas ſapiens indicere pœnas.

Hinc

Hinc mihi, quid deceat, quid non, quid lege vetetur,
Quid pravum ex se sit, quanto discrimine pugnent
Penè pares vultu noxæ, didicisse necesse est,
Tamquam ungues, digitosque meos: hinc sæpe vetusta
Nomina consulere, et grandes evoluere libros.
Nî faciam, (haud uni quod contigit antè sodali)
Judicium possim meritò timuisse secundum;
Indictumque mihi studium Septembribus horis,
Dum ridere aljis vacat, & per prata vagari.
Finge tamen reliquas curis majoribus horas,
Pieriis cupiam ludens impendere nugis:
Nolo meo quemquam monstrari carmine; nolo
Musa graves doleat scapulas, baculoque rependat,
Quidquid peccavit calamo. Satis erudit illam,
Quanquam et sint alji, longo tibi cognitus usu,
Admonitusque diu vates; cui sævior æquo
Urbanæ nuper merces est reddita linguæ,
Vulneribus surdis nil illius ense decoro,
Nil obstante coma, quamvis de crine Britanno.
Amic. Sed tibi (quis porrò dubitet?) nil tale timendũ.
Id castigati spondet prudentia plectri,
Cui datur ingenuo culpas desigere ludo.
Nam quis legitimo vitiis pugnare cachinno
Jure vetet? Tacito peccantum nomine, quidnî
Criminibus meritam infligant tua carmina pœnam?
At se carminibus forsan cognoscet in illis
Conscius, atque olli subitus pudor ora notabit.
Hoc Satyræ pretium est. Utinam, quod provida morum
Regula, quod nequeunt divina oracula, contra
Mollem Asiam totâ longè, latèque vagantem
Europâ; metuendum opponere carmina vallum
Possent, et risu crescentem avertere pestem!

Poet.

Poet. Ardua res hæc eſt, et quam nec magnus Apollo,
Nec junctæ præſtent decima cum Pallade Muſæ.
Quid quòd, carminibus mores terrere ſiniſtros
Ut poſſim, vel me leviora pericula terrent;
Et centum malim Sciolis ignarus haberi,
Quàm mordax uni, pravèque facetus amico.
Euryalus nuper, nullo unquam carmine læſus,
Iram inter, lacrymaſque mihi exprobravit amicè,
Quòd ſocjis per me ſit jam ipſe ſubinde cachinnus:
Tum timidis pulcher votis, blandaque coegit
Me prece, ne flavam Venuſino verbere poſthac
Cæſariem, et vultus nimiùm de matre ferentes
Inſequerer. Noſtro ſatis ipſum carmine notum,
Damnavi quoties indignum fronte virili
Conſilium ſpeculi, ſtudiumque imbelle placendi.
Quin etiam Morpheus, ſi vera loquntur amici,
Morpheus Bœotos inter Coryphæus onagros,
Multa mihi fremit indignans, torvùmque minatur;
Therſiten ſi fòrs, iterum dum pingere verſu
Stat mihi, Bœotum appellem, vacuumque medullâ
Sinciput, & vanum Muſis, Phœboque laborem.
Inſulſi phaleras rides, iraſque Thraſonis?
At bilis mihi nulla magis metuenda videtur;
Quàm, quorum fatuæ facilis manus annuit iræ.
Ergo vafer valeat (a) Calaber, ridenſque Neronem
(b) Tuſcus, & imbellis Criſpini irriſor (c) Aquinas;
Et ſiquis naſi eſt ſimilis. Me nemo Poetâ
Cauſidicus vafræ timeat myſteria linguæ;
Aut Judex dictum jus, exorante Moneta,
Et ſuadente Auro. Nullus, me vate, Machaon

For-

(a) *Horatius*. (b) *Perſius*. (c) *Juvenalis*.

Formidet rifum, dum terque, quaterque micantem
Explorat venam, fectumque in gnomata fatur
Hippocratem; et morbi præfagit fata pufilli,
Inde refert ftragem Batavi, pugnamque recentem
Victoris Galli, et narrantem fingula chartam
Extrahit e loculis: mifero febris additur ægro
Interea, curaque animus majore laborat;
Germanis namque ipfe favet, fociifque Batavis.
Excuffo pergant aljii fufpendere nafo,
Quos geminum facit infignes epigramma poetas,
Uno ceu natos, et adultos vefpere fungos;
Quanquam illis, nil ut dicturum epigramma laborent
Incude affidua, vix eft fatis hebdomas una.
Irridere aljis juvet, aut quos fplendida magni
Umbra patrocinii tumidos facit, atque potentes:
Aut quibus infelix, eft gloria macra, Parentum
Nobilitas, unoque venit de ftemmate virtus,
Ingenium, doctrina, et quod prætendere poffint
Objectis meritò vitiis, humilique fodali,
Sed docto, fed qui fic nobilis effe recufet;
Nam quænam laus eft majorum incumbere laudi,
Et picta tantùm fe nobilitate tueri?
Non ea me vexat fcabies, nec pectore lævo
Infanum cacoethes habet. Quin carmine falfo
(Quod plerique folent hodierno tempore vates)
Verus adulator potiùs fuper æthera tollam,
Quos Fortuna jubet magnos Heroas haberi;
Quamvis et famuli, et mores, et facta reclament.
Dicam Mufarum Patres, miseræque Patronos
Virtutis, qui dilapidant patrimonia curtos
Inter canteres; et, tanquam Sole calenti
Cera, liquefiunt ad Lillæ carmina toti.

Dicam

Dicam Pellæos Martes, belloque potentes
Hunniadas, quibus ad lætas ſæpe ebria menſas
Aſſidet, et ſicco ridet Victoria ferro
Fortibus in lepores frixos, toſtaſque palumbes,
Elixoſque ſimul rhombos, atque oſtrea cruda,
Auxilio veteris Chii, invictique Falerni.
Dicam, quæ ſexûs conſurgit flamma minoris
Longo ex alloquio, dulcique per otia vultu,
Ardoris, fumique expertem; et lumine puro
Conſpicuam tantùm: Qualem ſub ſydere Lunæ
Magnus Alexandri præceptor credidit ignem;
Aut qualem, non corde ſatum, ſed virgine tantùm
Mente, Plato noſtro huic ævo tranſmiſit amorem.
Quid plura his? Per me, quidquid jam temporis acti
Laudator, noſtro prudens avus exprobrat ævo,
Et fragrante roſa, et molli ſpargetur oliva.
Ingentes animas, invictaque pectora Marti,
Et Veneri, læves Niſos: exempla vocabo
Italidum poſthac Matrum, Latioque canendas
Penelopas, quæ ſpectatum, et ſpectentur ut ipſæ,
Procedunt patulis et manè, et veſpere bigis;
Vixque domo ſomnique horas, ſpeculique, cibique
Impendunt, niſi tunc alibi ſpectacula poſcant.
Ingenuos, ſi vis etiam, et nil turpe loquentes,
Impatiens vel dum madidis calet ira, fatebor
Aurigas, Nautas, Caupones, atque Gnatones,
Et Mediaſtinos; ac tandem nomine docti
Donabo, quiſquis Doctoris nomine gaudet.
Uſque adeo nullum Satyrâ mihi lædere certum eſt.

ITA-

ITALIA,

Magna ex parte, externos in mores degenerans.

Ex perſona eruditi cujuſdam

EQUITIS ROMANI:

SERMO SECUNDUS.

Illuſtriſſimo Viro, Marchioni

UBERTINO LANDI.

Europâ longè Cyprium tranſire relictâ
Oceanum mens eſt; et vivere moribus illic
Antiquis, ubi Bethlemium naſcentis adorat
Numinis hoſpitium, memoris reus advena voti.
Id mihi jam certum eſt; niſi fortè occurrat avitæ
Angulus Auſoniæ, et veteris pars maſcula Romæ,
Quæ populis mores dedit olim, juraque victis,
Nunc dominis: quæ ſervet adhuc veſtigia priſci
Pectoris, et meritum fortunæ, animumque prioris.
At quota nunc eſt Italiæ pars Itala tandem?
Scilicet, adverſo quantumvis Marte ſubactæ,
Antiquum tamen ingenium, moreſque manebant
Romani. Nunc ipſa, ſuis jam ſponte relictis,
Externos abit in mores. Hac parte catenas

Induit

Induit ingenio, vel quæ jam libera collo eſt.
Quædam olim, fateor, forſan pejora fuerunt;
Sed ſecreta tamen. Levior, ſed publica nunc res;
Si tamen hæc levior. Teneros defendis honeſtis
Nominibus fruſtra mores, et falleris ultro;
Romanis nec jam vitiis, gens noſtra, laboras.
Nos utinam falſi! Sed equi, famulique loquuntur,
Ingenteſque domus, nunc feſti more theatri,
Plenæ urbe, et cantu, et ſtrepitu: nunc noctibus altis
Deſertæ, ac pueris tantùm, ancilliſque relictæ,
Atque illis, quos admittunt tunc temporis ipſæ.
Hæc tamen, et graviora, ſacri vel tempore macro
Rhetores exagitent, vel quovis veriùs anni
Tempore; nam toto paſſim ſic vivitur anno.
Vix quædam attingam ipſe obiter magis obvia; ſed quæ
Democrito bilem poſſint, riſumque movere
Vel tibi, cui cauſas præſtabant omnia flendi.
An non hæc veniam, ſi non, te judice, laudem,
UBERTINE, ſibi poſſint mea dicta mereri?
Dic age; nam viridi ſapientia fortior ævo,
Et generi par ingenium, cognataque virtus,
Nec tibi judicium dictant de rebus ineptum,
Et blando illudi prohibent tua lumina falſo.
Quin etiam; (quæ paucorum nunc gloria) quamvis
Te Zephyris pelago in magno ſatis ampla ſecundis
Vela ferant, ſyrtes longè, ſcopuloſque latentes
Proſpicis; exemplo nec paſſim duceris, at te
Exemplum ipſe facis. Sed jam rem perſequor. Audi.
Et primò, dum Germanos, Galloſque loquuntur,
Non poſſum Romanus homo perferre patronos
Unius partis tantùm: hinc laudare paratos
Vel quod cauſidicus nollet defendere Coſſus;

Inde, ubi res etiam pateant, et ab hoste probentur,
Figere theta nigrum, atque in scirpo quærere nodum.
Quis nunc intrepidis felicia sydera Gallis
Abnuat, et vero Lodoicum nomine magnum:
Aut spectet dextram, aut mentem, et par pectus utrique:
Aut grandes belli numeret, pacisque triumphos;
Unde minor laceris it crinibus Hæresis, et se
Relligio dominam regno circumspicit omni?
Hæc hostis, quamvis doleat, tamen ipse fatetur.
Haud tamen id multis laudum satis. Omnia Francis,
Nil aljis cedunt. Reliquum est Bœotia, quidquid
Europæ est; nisi quantùm externas Gallia quercus
Dedolat, inque suos fingit saxa aspera vultus.
Ergo illis semper dulci Rex unus in ore:
Hunc et solliciti celebrant sermone diurno;
Intersunt vel dum sacro, et contrarius alter
Post tergum silet, ac narranda sodalibus audit.
Hunc ipsis noctes, et amantia somnia reddunt
Victorem. Sed nullam oculis, aut pectore noctem
Accipiunt miseri; siquid metuenda sinistri
Fama refert, nec sors Gallis de more secunda est.
Tunc iræ faciles, tunc muti, aut vocis avari;
Seria frons illis, omnisque ingrata voluptas.
Quanquam alji, Austriacis si fractos Vasconas armis
Rumor eat, classemve Anglo victore fugatam;
Usque negare fidem, et vanam ridere Chimeram.
Quî fieri id possit? Levis hæc vox improba vulgi.
Expectanda dies, dum pinguis luceat error.
Scilicet aut nulla est terrâ commissa, marique;
Aut, si pugna fuit, fuit et victoria Gallis.
Inde tamen, quamvis nolint timuisse videri,
Usque timent; sed rem, comitum de mente, suâque,
Decer-

Decernunt vero abſimilem, falluntque timorem.
Ut patula contrà aure bibunt, dubitandaque nulli
Affirmant, quæ fòrs incerti Allobrogis error
Nuntiat, et nondum famâ narrata ſecundâ,
Prælia Germanis, et junctis læva Batavis!
Tunc Marti finis longo imminet: Auſtria pacem
Quamlibet expoſcet: fiet prior ipſe Batavus
Exemplum. Reducem, Lodoix jubet, Anglia Regem
Quamprimùm accipiet.... Sic bella, et fœdera tractant
Europæ: mox aut laſſum cocolate parato
Ingenium recreant, aut crinem, enſemque venuſti
Componunt; namque hora nurus inviſere comptas
Jam monet, et fortaſſe alji inviſere priores.
An non magnanimus Lodoix, et Gallia prudens
Rideat hìc meritò, et ſapientiùs optet amari?
At parte ex alia plures pro Cæſare pugnant.
Diſſimilis cauſa eſt; ſed idem quoque fervet in ipſis
Ingenium, ſtudiumque inimico cedere vero
Indocile, ac flecti haud patiens ratione magiſtra.
Laudo quidem, plenis tollant quòd in æthera buccis
Ingentem Leopoldum, et cætera dicere pergant:
Ut ſua fortunet pietate, atque auſpice Cœlo,
Regna, nec alterius malit creviſſe ruinâ:
Ut Thracas toties, et junctos Thracibus ipſos
Pannonidas, causâ potior, quàm milite, latè
Fuderit: ut laudis, fortunam expertus utramque,
Plus tulerit. Vox hæc de Cæſare publica clamat.
At quis tam patiens, tam ſaxeus, ut teneat ſe;
Grandia dum tetro Lodoici facta veneno
Diſtingui, inque illis mentem plerunque ſecundam
Culpari videat? Dum ſolos Teutonas armis
Invictos, primo validos tantùm impete Gallos

 Audiat,

Audiat: his ſolam fortunam, artemque relinqui;
Nudum illis Martem adſcribi, atque in prælia vires?
Adde, quòd hìc etiam, ſi fòrs victricia Rheno
Lilia, vel captæ prope Scaldin mœnibus arcis,
Fama refert; certo invenies incredula vero
Pectora, vel nulli factum adſcribentia laudi,
Quamvis id fieri poſſe haud ſemel antè negâſſent.
At contrà, ſiquem referat transîſse citatis
Villicus, aut caupo calcaribus, et pede in uno
Stantem obiter pugnas Aquilæ narrâſſe ſecundas:
Ut plaudunt, ut nil dubitant, properiſque triumphum
Literulis jam ſolliciti teſtantur amicis!
Hi referunt aljis, aljis hi protinus, omnes
Secretò, inque aurem. Sed plura per ora vagatur
Secretum, totamque implet ſermonibus urbem.
Fit major ſtrages, victoria creſcit eundo
Parte alia; aſt aliâ hæc eadem victoria nulla eſt.
Quis retulit? Quo miſſa loco fert Litera? Quiſnam
Id credat, niſi brachatus femoralibus amplis?
Hæc, et plura alter; ſimul alter plura reponit.
Tum remis iterum, ac velis certatur utrinque;
Jamque fluit feſſis ſudor; vultuſque rubeſcunt
Acriùs: exſurgunt voces, et jurgia raucis
Mixta ſonant probris. Tollit quoque ſæpe paratas
Ira manus, et eunt pugni, veniuntque viciſſim;
Veraque de falſa fervent certamina pugna.
Quid porrò infelix faciam, aut qua providus aures
Occludam cera; ne tales nocte, dieque
Accipiam rixas, et [illegible]tia bella per omnes
Italiæ jam di[illegible] urbeſque, domoſque,
Cognatos etiam, et ſinceros inter adelphos,
Inter heram famulumque, inter ſocrumque nurumque,
Uxorem-

Uxoremque Virumque, atque ipsos inter amicos?
Ah! leviùs, rhonchos tumida de nare sonantes
Quintilli, miseræ mihi quondam exordia noctis,
Dulciaque Auroræ rumpentem somnia Brontem,
Et tonitru massæ alternum a pistore subactæ,
Ferre queam; et longo recitantem manè Cotinum,
Et Marii citharam, et rudentis carmina Mævî.
Mens mihi adhuc recta est, et neutra parte laborat.
Nil ego Germanis Italus, nil debeo Gallis;
Nil itidem exprobro. Mea me infortunia tangunt,
Italiæque meæ. Cur demens plura requiram?
Addictus nulli, nullique infensior idem,
Partibus adversis facio communia, nec quæ
Audiri metuant, aut sint mihi vota pudori.
Iratum neutri Cœlum fortunet utramque;
Italiam tantùm servet, nullique relinquat
Materiem belli, et Martem procul arceat omnem.
Si tamen, hìc etiam vincat pars una, necesse est:
Vincat, quam Ratio præfert; cui, judice Cœlo,
Causa favet melior, nec adhuc sat cognita Mundo;
Quandoquidem hæc plures, plures habet illa patronos.
Nobis, quos turbam voluerunt fata minorem,
Aut pacem, aut saltem externa inter bella quietum
Dent animum. Quid me vanis innectere quæram
Vexandum curis, somnumque subinde, famemque,
Et veteres etiam amittam malesanus amicos,
Germanis, Gallisque ignotus homuncio; si fòrs
Aut hos, aut anceps Victoria præferat illos?
Ast aliud simul, ad Siculum quà longior æquor
Alpibus a Grajis extenditur, occupat omnem
Italiam commune malum. Vitium antè vocari
Jam poterat: lex nunc, et mos civilis habetur.

Quisnam ferrè queat, quibus omnia Gallica constant,
Et pudor est Italos habitu, vultuque videri?
Jam crinis piget Ausonii, jam sordet amictus,
Calceus, et petasus; si non censura probavit
Lutetiæ, si non advectos credimus illinc.
Inde Latina nurus spernit, noletque minoris,
Quod Venetus ferat, aut patrio mercator ab Arno.
Pluris emet, merces vendat si Gallus easdem.
Tanta fides rebus Francis. OEnotria tellus
Nil habet infelix tandem, quod blandiùs intret
Lumina; quod Nisus probet, aut Lavinia laudet.
Omnia vilescunt, nisi mittat Gallia. Quodsi
Hæc jubeat: quod heri Priamumque, Hecubamque decebat,
Cras Helenam faciet, cras fiet Adonide dignum.
Sin jubeat rursum: quod nunc simul excitat ignes,
Et plausus, cras aut stomachum, risumve movebit.
Ipsæ jam putent epulæ, sordentque palato,
Si nostras coquus est. Si natus fortè putetur
Trans Alpes; quamvis illotâ fœdior ollâ
Et manibus totam, et totam gerat ore culinam,
Omnes jam sapiunt, potiores nectare, lances.
Quid quòd, turpe magis cùm sit nescire Latino,
Aut Tusco sermone loqui; jam nubilis ætas
Paulatim blæso discit mollire palato
Semesas voces; mixtisque audire subinde est
Vocibus Insubriæ, aut Latii, Æmiliæve ferocis,
Gallica verba, diu gaudet quæ virgo doceri
Sic placitura proco: namque hæc pars altera formæ est;
Forsitan et dotis, nisi sint a dote sagittæ.
Donandum tamen hoc veniâ. Quis perferat unquam,
Quòd plures, quibus est studii laus, atque sagacis
Ingenii, situi ac tineis Cicerone relicto,

Et

Et Flacco, et priſcis Annalibus, atque Poetis,
Contemnant ætas quidquid tulit aurea; tanquam
De trivio, ac pueris tantùm majoribus aptum,
Frænat adhuc, ſi non ferulâ, quos voce Polæmon?
Res eſt digna viro, manibus verſare magiſtris,
Mirarique diu, atque aliis oſtendere, ſiquid
Fortè novi, ſive a Rhodano, Ligerive, libelli
Adveniat vel de nucibus, lanâve caprinâ;
Tale aliquid majora inter namque advenit illinc,
Et placet hoc magis, et veræ plus artis in illo eſt.
O pulchrum! O nitidum! Ut blandè ſapit! Ut facilè intrat!
At cui non moveat tenui faſtidia dulci
Mollior, et nullo robuſtus Rhetor aceto?
Quem ſcalpat, quod pygmeæ concinna Thaliæ
Fiſtula dilutum crepat, et delumbe ſonorum?
Si mihi tam parvò Phœbus daret eſſe Poetam;
Una dies ſatis eſt. Myrtum, laurumque parate:
Cras ego magnus ero vates. Quæ vilia nunc ſunt,
Quamprimùm magni vendam mea carmina. Quidnî?
Edam Pariſiis, aut illic edita fingam,
Nomine ſuppoſito. Quis non ea protinus optet,
Si ſciat, et mitti ſibi poſcat, miſſaque tollat
In Cœlum, et vates Italos contemnat in illis?
Uſque adeo, ut reliquis felix in mercibus, addit
Et decus, et pretium Regio nunc verſibus illa;
Unde novas ſapiens expectat Livia criſtas,
Et putat Euganeum Criſpus veniſſe galerum.
Quis porrò ſtupeat? Jam blandæ gratia linguæ,
Et Lepor, et Charites, Graiiſque Poeſis ab oris,
(Nuper neſcio quis tumido ſic ore canebat)
Exul, et Auſoniis, ſequitur victricia Franci
Cæſaris auſpicia; et Pindus felicior illuc

Pieridas, Phœbumque tulit.[a] Jam barbarus audit,
Nec ſatis humanus, cui non aut axe ſub illo
Naſcier, aut mores licuit, linguamque doceri.
Me miſerum ſanè! Viſus mihi Sequana nunquam;
Et natale ſolum Latium, et mihi patria Roma eſt.
Rideor; at miſſo repetamus ſeria riſu.
Non ea de nobis ſentire, aut dicere totam
Gentem illam, bello inſignem, ſtudiiſque Minervæ,
Crediderim. Plures laudent ibi, do, ſua tantùm,
Extera contemnant: at longè pluribus ipſo
Doctrina, ingenium, virtus, vel in hoſte probantur;
Nec tamen aut illis ſumus, aut nos dicimur hoſtes.
Quin ipſe, ut de me fatear, quæ Gallicus ad nos
Mittit Permeſſus, magnorum carmina vatum,
Præcipuè ſi ſint numeris digeſta Latinis,
Voluo libens, eademque fruor: ſimul improbo, ſiquis
Noſtratum fortè aut vanus legiſſe recuſet
Contemptor; nimiùm aut lector moroſus iniquam
Ad trutinam vocet, et naſo ſuſpendat adunco.
Et ſanè plura huc veniunt e partibus illis
Digna ſupercilio, curâque exacta ſagaci
Pectinis, et ſpeculi: quis enim neget? Invidus ille,
Aut certè rudis eſt; qui *Cornelios*, *Racinos*que,
Et vos, *Coſſarti*, et culto vos ore, *Rapini*;
Multiplices et *Comirios*, grandeſque *Ruæos*:
Et te pingentem cultiſſima Prædia verſu
Conſimili, ac Pindo, *Vanieri*, plura parantem:
Et te, *Santoli* (ſed enim, quo judice Phœbo;

Quo

(a) Huc (*.s. in Galliam*) tanquam in veram humanitatis Scholam, mittitur quotannis ex omnibus terræ partibus ſelecta nobilitas, ut cum lingua civilem vivendi modum, poſita barbarie, addiſcat *Petrus Bertius* in Breviario tot. Orb. terrarum.

Quo vatum tandem jam decernente Senatu,
Ipse *Poetarum Princeps* inscriberis, etsi
Forsitan invitus tua jam post funera, plures
Ausonidûm ignorant, et pergunt quærere) prisci
Ore canens Latii, et veri doctissime plectri:
Atque alia haud celebret, gemino quæ Gallia jactat
Nomina Permesso vatum celebranda suorum.
Mitto Oratores magnos; nam Gallia tales
Et Latio parit, et patrio sermone disertos
Quamplures: rostris alios civilibus aptos,
Suggestis alios sacris. Nos sæpe loquentes
Etruscè audimus cinerali tempore apud nos.
Nostrorum hinc etiam tam bellè dicere quosdam
Miramur, quibus est doctrinæ curta supellex,
Et studium Fabji nullum. Sed Gallia præstat
Auxilium, et nobis meritò laudatur in illis.
Tunc aut bile uror præcordia sæva virili,
Aut malè compresso rumpor penè ilia risu,
Compti nescio qui quoties super astra Catones
Extollunt libros; quorum pars optima margo
Latior, et corium lævi de pumice mundum,
Aut aliquid blandi spectandum in fronte *Lebruni*,
*Bazini*ve, aut alterius de gente recenti
Protogenum; namque hoc aliqui de nomine libros
Pluris habent, tanquam dignos pictoribus illis.
Ipsi jam Celtæ, quibus est sapientia major,
Rident, et nobis (plures *nobis* sed in illo
Excipe) mirantur tanti quosdam esse suorum;
Dum veteres nostros, quos ipsi habuere magistros,
Spernimus, et rivos neglecto fonte sitimus.
Quanquam post veteres, et posteriora tulerunt
Consimiles illis plures, hodiernaque plures

Tem-

Tempora. Quid (a) geminos referam, quos Gallia citra
Alpes noſtra dedit, Grajo, Latioque Maroni
Haud multùm abſimiles, nullique exinde ſecundos?
Quid geminos, quos (b) luget adhuc Inſubria, Flaccos,
Lemenium, *Madium*que; quibus *Filicaja* paſſu
It comes æquali, præeuntem ponè *Petrarcam?*
Quid referam, ſua carminibus quos monſtrat in ipſis
Nobilitas, quanquam hæc laudum pars altera tantùm,
(c) *Maphæos*que, (d) *Urſos*que; et te, Muſiſque, Sophiſque
Note ſatis, ſolidique ſciens, (e) *Hieronyme*, veri?
Quid reliquos, quos Benacus jam dulcè canentes,
Quos Italus Rhenus, quos et Padus audit, et Arnus
Nunc quoque? Quid contrà modulantes carmina plectro
(f) *Parthenium*, *Cevam*que, et te *Ravaſine*, Latino:
Voſque, o Romanì notiſſima nomina Pindi,
(g) *Carole*, quem proprio cognomine donat, *Aquinum*,
Atque expectati vates, (h) *Carrara*, Columbi;
Et te, cui Latium, Tuſcumque lyrâ exit eadem
(i) *Paſtorine*, melos; teque, o *Spinelle*, canentem
Fœcundæ teneros, quibus ardes, Virginis ignes:
Et vos, (namque inopem reddit me copia) quorum
Verſibus, ipſa legat ſi miſſos Gallia, plaudat?
Nec minùs ingenti fœcundum Rhetore Cœlum eſt
Auſo-

(a) Areoſtum, & Taſſum. (b) *Haud ita pridem extinctos*. (c) *March.* Scipionem Maphæi:. (d) *March.* Joannem Joſephum Urſi: (e) *Com.* Hieronymum Frigimelica Roberti, *Equites Poeſeos, doctrinaque laude, et editis libris inſignes*. (f) Nicolaum Parthenium Giannettaſium, & P. Thomam Cevam *S.J. ac* Thomam Ravaſinum *Nob. Parmenſ.*, *Latinos Poetas illuſtres*. (g) P. Carolus de Aquino S.J. (h) P Ubertinus Carrara, *cujus celebratur, & jamdiu expectatur, inſigne Poema de Criſtophoro Columbo*. (i) P. Joannes Baptiſta Paſtorinus; P. Bartholomæus Spinelli *S.J.*

Auſonium; quamvis plures abduxerit antè
Tramite, quo magnus veſtigia tuta reliquit
Arpinas, decor imbellis, ſtudiumque placendi.
Atque utinam ſtimulis majoribus alta foveret
Plurimus hic etiam (quot tales jactat [a] in uno
Gallia!) Mæcenas ſtudia; æqualiſque teneret
Materies validas mentes, et fortia quædam
Ingenia Æneadûm; nec ſoli ſæpius eſſent
Verſiculi, Mundique minor doctrina minuti,
Fertilis ingenii laus, aſſiduique laboris!
Sed quò me longè tulit importunius œſtrum
Pieridas veteres inter, notoſque Poetas?
Noſtrum ergo properemus iter; nam plura ſuperſunt,
Triſtior unde mihi eſt Cælo mora longa Latino.
Quid pulchros Parides inter, moriſque recentis
Euryalos faciam? Quî poſſim oſtendere memet
Cœtibus in medjis, ubi ſexus uterque diſertum
Poſtulat, et comptum, Pariſinoque ore loquentem?
Vix Tuſco rectè loquor, et ſermone Latino.
Sum rudis ad cultum, nec quidquam præfero blandi
Aut habitu, aut vultu. Nunquam mihi pulvere crinis,
Aut toga conſperſa eſt; niſi quem nil tale volenti
Injicit aut Eurus præceps, aut ocyor axis.
Ut medicum, ſpeculum vix conſulo, cùm mihi pectus
Languet iners, et eunt vires per membra minores:
Suppoſita vitreæ ſpeculum dant veſte feneſtræ
Promptius, aut plena facilis cryſtallus in urna.
Nec ſcio, nec molles ſtudeo miſcere choreas,
Ad numerumque pedes, et brachia docta movere.
Sola mihi ratio paſſus, tempuſque, locuſque
Dirigit,

(a) *Rege ſuo, Ludovico Magno.*

Dirigit, et plantas naturâ figo magiſtrâ.
Si mihi vir princeps, ſi conveniendus amicus;
Ingenuas phaleris humanus promo relictis,
Et quales veniunt vero de pectore, voces.
Aſt Ledam, aut Helenen inviſere manè tepenti,
Dum ſedet ad ſpeculum, totumque a crinibus imis
Ædificat caput; et ceruſſæ pyxidas illi
Nunc præbere, ſedens contrà; nunc dicere magnum
Crimen inæqualis nimiùm, ſimiliſque cadenti
Cincinni, aut criſtam paulò laudare minorem,
Nec volo, nec poſſum, nec debeo. Pluribus hic mos
Jampridem ut placeat, mediam pedes ire per urbem
Innixo ad bigas cubito, et ſimul ore retorto
Læves in vultus; ſi mecum, quæ ſedet intùs,
Rideat obliquè, nec ſemper vertice recto
Garriat, indigni pretium duxiſſe laboris,
Et didici nunquam, et nullo pòſt tempore diſcam.
Non ego tam parvi mihi ſum, nec fœmina tanti
Ulla mihi eſt; quando nondum Puer improbus arcum
Fortiùs adduxit, telumve in pectore fixit
Hæſurum, vacuo nunquam, et ſine mente relicto.
Id quoque nunc caveo, dulci ne vulnere mentem
Auferat, et verſis mutet ſua nomina rebus.
Præterea me ſancta pii miſeratio ſexûs
Jamdudum tangit; quem, longè imbellior ipſo,
Turba virûm, vel penè virûm, plerunque ſuperbum
Efficit, inſontem licèt, et nil tale merentem.
Nam cur incedunt quædam jactantiùs, et ſe
Credunt eſſe Deas? Criſtas non erigit illas
Aut decor, aut ſpeculum; (quid enim meditentur in ipſo,
Quod non artis opem poſcat?) ſed amica ſequentum
Obſequia, et circùm admiratio blanda procorum.
Nec

Hæc abſint, animuſque viris ſit in ore virilis:
Nec Dea, nec Divæ ſimilis, nurus ulla videtur
Ipſa ſibi; pueriſque domi, pictiſque vacabit
Staminibus, placitura Deo, placitura marito.
Nulla igitur,(ſervent,precor,hanc mihi Numina mentem)
Nulla queri de me poterit, quòd penè coacta eſt
Eſſe verecundam minùs, et magis eſſe ſuperbam,
Me nimiùm ſpectante: colo, calathiſque Minervæ
Quòd caſtas aſſueta manus, jam talia dudum
Dedidicit, veniente domum me ſæpius; aut quòd,
Me ſtimulante, ducemque ſibi, famulumque gerente,
Ipſa domo et capiti infeſtis exire diebus
Nunc amet, atque omnem, quà major turba, per urbem
Spectari, feſtumque adeo ſub veſperis ortum
(Namque aliquid dandum et pietati) inviſere templum:
Inque domum mox inde aliam divertere, feſſas
Solis ubi curas relevant, ſævoſque labores
Aut ludo inſonti, aut doctis ſermonibus, uſque
Ad galli cantum, Dominæ, Dominique ſecundum.
An non, hæc peccet levior ſi fœmina, culpa eſt
Tota viri; quando exemplo frænare volentem
Imperioque poteſt vel contrà obſtare parantem?
Quid quòd plura mihi, quæ præſens rideat uſus,
Arrident magis, et noſtræ ſunt commoda vitæ?
Quidquid culta novi inducat jam Gallia moris;
Immutanda mihi tantùm pro tempore veſtis,
Quæ tegat, et deceat: luxum, ſpeciemque relinquo,
Cui plus argenti, cui major cura placendi.
Nolo, mihi Germana nurus, Judæave mater
Veſtiat illepidum detonſo ſinciput auro.
Ah! tanti non eſt Criſpum, Phœbumque videri;
Si malè diſſimiles accuſet barba capillos,

Quam-

Quamvis alternis minor a tonſore diebus:
Si tam crinitus dicar, quàm doctus habetur,
Dum nunquam lectos oſtendit Scævola libros.
Malo viri, quales exornant atria, vultum,
Et nudum, totumque caput: vel ſiqua capillos
Poſcat hyems, aut mos patriæ, exemplumque virorum;
Haud timidos præſtat crines mihi pectere, quales
Sponte ſua veniunt; Latiamve adſciſcere ſaltem
Cæſariem, et quæ annos deceat, moreſque viriles.
Nolo galericulum, qui partem obliquus in unam,
Extensâque comâ brevior, vix protegat ipſam
Dimidiam, atque omni facilis rapiatur ab Euro.
Oblongum, latumque, et nulla parte minorem,
Qualem Ignatiadæ debent pictoribus, orbem
Prætulerim; quo ſit mihi tuta cucurbita quavis
A nebula, et pluvia, ſoleſque avertat iniquos.
Hæc ego ſi faciam, et paucis me adjungere quæram,
Quos rapidum contra torrentem maſcula virtus
Dirigit, et duro cataphractos Socrate, vani
Stare jubet nugas contra, et dicteria vulgi:
Quò me cunque feram, falſo noter indice, tanquam
Diogenes aliquis; vel quem, Timone relicto,
Attonitæ Μισάνθρωπον dixiſtis, Athenæ.
Quid quòd tota domus, cognataque, fortior illâ,
Turba ſimul, nec non ipſi mihi longa ſodales
Bella ferent? Quò me vertam? Pugnare moleſtum,
Vincere difficile eſt; neque enim mihi pectus ahenum
Vel natura dedit, vel nondum interrita virtus.
Sin autem patiar vinci, et ferar amne ſecundo;
Me miſerum! longus mos, ingeniumque repugnat,
Secretique amor innocui, ſtudiumque Minervæ;
Et Ratio ſimul, et ſtimulis Deus intùs amaris.

Incre-

Increpitans. Quid iam misero mihi denique restat?
Ire libet procul hinc, aliamque exquirere sedem,
Quâ nostræ vigeant animi, vultusque priores
Ausoniæ; et nullo Tybrisve, Arnusve, Padusve,
Aut Rhodano fluat, aut Tamesi, aut corruptus ab Istro.
Talem, spero equidem, aut hìc, aut felicior illic,
Partem aliquam inveniam Italiæ; præsentia quando
Æneadûm haud pauci sanis inimica queruntur
Moribus, et domibus fatalia tempora magnis.
Interea, Numen donec mihi certius urbem
Ostendat, longos præstet quæ tuta Penates;
Dulce Palæstinas votum est invisere terras,
Et loca plena Deo quondam; quàque arbiter idem,
Atque hominum vindex, hominemque indutus, et auras
Mortales hausit nascens, moriensque reliquit.
Hoc mecum, jam certus, iter meditatur Achates
Impiger, invenitque ratem. Sed fortior Auster
Jamdudum fremit Adriaco; et, qui ducat in Ortum,
Aut Zephyrus nobis, aut expectandus Japyx.
Nunc mihi sarcinulas, et cætera comparo, tanquam
Littoribus nostris abiturus mense futuro;
Nî mihi dent aliam Deus, et Prudentia mentem.



SUOS AD AUDITORES

Suprema abeuntis Præceptoris Monita.

Cùm Auctor autumnalium Vacationum tempore

EX PARMENSI NOBILIUM COLLEGIO,

Ubi literas humaniores docuerat, propediem discessurus esset.

SERMO TERTIUS.

Ut mihi nunc, lepores ultro, sociosque relinquens,
Huc ades, o Theodore! Animum flaventibus annis
Majorem, et patria dignos simul indole mores
Agnosco; certique mihi data pignora cordis
Accipio, amplectorque libens. Quis talia præstet
(Unus te præter vix excipiatur, et alter)
Discipulus veteri, discessuroque Magistro;
Dum novus advenit, spesque, et timor omnis in illo est?
Quanquam a te, verum ut loquar, id non spem mihi præter,
Insuetumque venit. Gemino sat doctus ab anno
Jam didici, mens ut moneat te provida semper
Officii, doceatque adhibendi horamque, modumque;
Quamquè tibi gratos memori sub pectore sensus
Impressit natura, et virtus fortior illâ.
Sed jam age, nunc mecum sedeas, quando ultima poscis,
Quæ bonus excipias, atque alta mente reponas,
Jam non doctoris monita, at senioris amici;
Namque unum hoc de te nomen mihi denique restat.
Ergo

Ergo, tuis quanquam ſiquid minùs ipſe probavi
In ſtudiis, ſi quid culpandum in moribus ipſis
Adverti; monitor ſatis opportunus amicè
Corripui; neque me vitium unquam offendit in illis
Rurſus idem: (cura hæc animi tibi pectore ſedit)
Plura tamen, raró ex alta mihi dicta cathedra,
Hìc ego privatus paucis, adverte, docebo.
Nec temnenda putes: ſeu rurſus [a] *Candida Luna*,
Seu te [b] *Immaturæ* maneant, Inſignia, *Fruges*:
Sive Stagiræo ſtudeas, ſeu Juſtiniano;
Emerito quanquam e læva tibi pendeat [c] *aurêum*
Alvêare, et [c] *lecti* pars ſis veneranda *Senatus*,
Cui reliqui aſſurgunt venienti, adſtantque minores.
    Et primò, ſtudium quamvis felicius, et par
Ingenium, inter aves reliquas te oſtendere poſſint
Aut Aquilam, aut alio devectam ex orbe volucrem;
Magnum crede nefas roſtrum jactare magiſtro,
Et vetito audaces pennas extollere Cœlo.
Eſto favens emendanti, auſcultanſque docenti;
Neu fronte obducta, aut naſo criſpante cachinnos
Indecores, unquam abſcedas, tacituſve ſuſurres.
Vel quo majorem ſperas a themate laudem,
Majores longè ille poteſt expoſcere pœnas.
Nam, ſi fortè oculis tua carmina limet acutis,
Inveniet Vallî multum, multumque Becani:

K Hæc

(a) *In Claſſe Humanitatis Academia* Candidatorum, *cujus emblema* Luna nova.

(b) *In Claſſe Rhetorices Academia* Immaturorum, *cujus emblema* Fruges adhuc virides.

(c) *Totius verò* Collegii *Academia princeps eſt* Selectorum, *cujus inſigne* ALVEARE *cum* APIBUS; *quod et ipſi Academici numiſmate aureo inſculptum deferunt*.

Hæc tibi Sarbivius dedit, hæc debes Venuſino;
Sed malè detorta, atque loco tantùm apta relicto.
Hæc autem (quæ tanta tuo fiducia furto eſt?)
Integra de Danae auctorem tria diſtica clamant
Naſonem: nihil uſque tui eſt, puer improbe, in illis,
Nî dolus, et vetiti temeraria lectio libri.
Hinc triſtis pudor, et riſus Cornicis ineptæ
Te maneat, malè conſutum centona, coactum
Exuere, ac nitidi pœnas expendere furti.
Rides alludens monitum. Sed quidquid in illo
Occurrit, tibi ſit monitum præſentius illo.
Sin autem morum cenſor, læſuſve Magiſter
Aut ſcuticam, (ſcuticam caudati ſæpe Magiſtri,
Quamvis Æacides, et proles unica Divæ,
Ipſe etiam expertus, ſiquid peccaret, Achilles)
Aut illi ſimilem merito pro crimine pœnam
Intendat; palmam exhibeas plectendus utramque,
Et lacrymis ſcelus excuſes, ſoloque pudore.
Maxima debetur ferulæ reverentia, quamvis
Clementi in dextra. Nullo me verbere; nullo,
Quidquid agam, ſtudio certa ultra tempora plectet,
Sat bonus in mores qui nunc inquirit ineptos,
Æacus, et cauſas parcendi mitior optat:
Hæc inter reliquos jactabat ſæpe ſodales
Ille tibi notus quondam comes. Et tamen idem
Coram aljis pejora timens, veniamque rogavit,
Et ferulam, et quidquid potuit meruiſſe videri.
Hinc pœnam, riſumque tulit cerebroſus amarum;
Et meruit miſer eſſe, et non miſerabilis ulli.
Quid verò hic Curios referam, Fabioſque ſecundos
Ante diem, bullis nondum, nucibuſque relictis?
Sive graves vultus recitatus Cinna, theatro

Plau-

Plaudente, inſpiret; Latiove inſignis in oſtro
Patruus: aut feſtis tantùm ſpectanda diebus,
Quam Genitrix miſit, moris coma longa recentis;
Præcipuè ſiquid ſpeculi, Cyprique minutæ
Accedat, vel tale aliquid, quod fœmina præſtat
Nunc pueri ſtudioſa, ſuis nunc ipſa capillis.
Ergo alji fronte obducta ſpectare videntur
Præceptorem ipſum, et vultu punire ſevero;
Siquando læſi officii, aut pietatis omiſſæ
Admonuitve palam, aut pœnas exegit ab illis.
Sunt alji, qui vix aliquando prætereunti
Aſſurgunt ægrè; nec quidquam, plura rogati,
Reſpondent, niſi quod vix affirmantve, negantve
Verbo uno, vix ulla minùs quo ſyllaba curta eſt.
Inde ſolum ſpectant, tacitiſque obtutibus hærent,
Iratis ſimiles. Vix, diſcedente Magiſtro,
Quattuor, aut tria dant reddentia verba ſalutem;
Ne videantur inhumani, atque rudes Galatæi.
Cur iræ tantum, aut tantum gravitatis in illis?
Cauſa latet; ſed enim cauſam ſcrutare latentem.
Scilicet hæc miſeri eſt apud illos culpa docentis:
Quòd non aut ventis ingentia vela ſecundis
Impleat; ignaramque maris, Cœlique carinam,
Littora deſerere, atque altum vetet ire per æquor:
Seu quòd nec crebro mulcet poppyſmate molles
Auriculas; nec jam precibus, lacrymiſque decoris
Dat veniam, quoties aljis par culpa pianda eſt.
At gravitas aljis eadem, et par vultus in omnes,
Quidquid agant: dubites, vtrum dixiſſe modeſtos,
An tumidos, præſtet; ſed dicere præſtat utroſque.
Talis erat, quem præterito ſpectavimus anno,
Spectandum verè ante alios, digitoque notandum.

Ille ſalutabat rectus, rectuſque bibebat,
Scribebat rectus, faciebat cætera rectus,
Ipſas vel nugas: tanta olli cura Catonis.
Sed mihi nec promptas, inquis, natura miniſtrat
Verborum phaleras, nec inanis dulcè ſonantes
Officii voces: tum ſcitè compta venuſti
Corporis obſequia, et varias vultûſque, manûſque
Blanditias nondum didici, et didiciſſe moleſtum eſt.
Falleris hìc, Scyllamque petis, Theodore, Charybdin
Dum vitare cupis: via tutior inter utramque eſt.
Eſt medium in rebus: locus hic virtutis habetur,
Extra quem vitium eſt, partem in quamcunque recedas.
Dum tumidos nimiùm minùs approbo; non ego molles
Laudo tibi vultus; nec, noſtris Cantaber oris
Si minùs arrides, te mox Allobroga poſcam.
Quid deceat, quid non, (quando præcordia finxit
De meliore tibi limo, multumque ſaporis
Miſcuit, et lucis) prudens natura docebit;
Si comitum accedant præſertim exempla tuorum.
Sunt tibi in his plures, quorum intractabile nulli
Ingenium, moreſque, et vultus cuique faventes;
Nec jam naturæ, aut fortunæ ingentia dona
Grande ſupercilium, ſed ſola modeſtia laudat.
Ergo, tibi quamvis nulli fortaſſe ſecundum
Ingenium; quanquam e priſco tibi ſanguine ſurgat
Nobilitas, ſint et dotalia prædia Matris,
Et grandes tituli, tibi quos ex aſſe relinquet
Patruus hæredi; et quidquid ſuperaddere majus
Hinc fortuna poteſt, hinc verſo Copia cornu:
Nunquam ſublimi majores vertice criſtæ
Inſurgant; nec te gallinâ progenitum albâ,
Nec reliquos vulgus natum infelicibus ovis,

Esse putes. Tibi quam faciant hæc omnia laudem;
Si non mens sapiens, si non Deus adsit in illis
Providus, et sanum fortunæ indulgeat usum?
Ut tibi, quod dubium tamen est, sit vita superstes,
Majorum hæc fieri possunt tibi causa malorum.
Adde, quòd, ut vincas plures, longèque relinquas,
Invenies, qui nil tibi cedant, quiquè minorem
Despiciant. Sed enim quænam inter mille carinas
Consimiles; portu dum vix incerta relicto
Carbasa dant ventis, pelagoque impune feruntur,
Usque adeo velis, animisque inflata secundis
Puppis eat, dici ut meritò Victoria poscat?
Quod sequitur,parvũ est; et mens mihi fluctuat anceps,
Eloquar, an sileam. Sed et hoc tamen eloquar, at non
Ut moneam; mixto ut placeant sed seria risu.
Grandes nescio quæ voces, et pondera dictis
Addita firmandis, magnique vicaria cordis,
Barbatos deceant equites, rerumque peritos.
Quis ferat infantes jurare viriliter, et se,
Tanquam homines falli ignaros, ac fallere, testes
Addere, perque suam rebus dare pondera dextram?
Septenes vixdum pueri, dum prælia secum
De lana miscent caprina, de nuce cassa,
Sæpe Equitem jurant. Poterant jurare puellum,
Tantumdem est: eques est puer ipse in arundine longa,
Cui nondum vivo fas est equitare caballo.
Forsitan, ut credam, Stygiam jurare paludem
Præstet idem; quando nobis mera fabula Styx est.
Paucorum tamen hæc res est; neque plectere talem
Audeam ego morem. Ad summum prudentior ille
Audiet, emeritos quando expectaverit annos.
Quanquã,Eques, atque Equitem mulier sortita parentem,

An ſint (quod plures jactant) certiſſima fidæ
Nomina virtutis, nullique obnoxia labi,
Nec ſcio, nec tibi nunc, ſi ſcirem, dicere vellem.
Hoc unum ſanè, quorum ſapientia major,
Exclamant paſſim; nec quidquam dicere contra eſt:
Ipſi Trojugenæ argillâ formantur eadem,
Iliadeſque nurus, qua Tityrus, atque Philemon,
Qua Glycere, et Baucis. Quin multò mollior illis
Forſitan, humorem nondum decocta tenacem:
Forſitan et nullis durata laboribus unquam,
Fingitur in vitium facilis; ſtimuloſque repellit
Ægriùs, et blandum Pueri penetrabilis arcum.
Multa quidem decoris ratio, et reſpectus honeſti
Gentilis prohibet; ſed longè fortior, intûs
Arcanos etiam, Virtus, quæ pugnet in hoſtes.
Hæc tamen, atque alia id generis majoribus annis
Conveniant, aliiſque locis. Hinc, auſpice Cœlo,
Hinc procul eſt, monitis quidquid reprênditur illis.
Quin etiam, quo ſe vitiorum adverſus iniquas
Exinde illecebras tueatur grandior ætas,
Gratior hìc teneræ virtus, animuſque paratur.
Atque adeo quantùm plures hoc nomine vincis
Cognatos equites! Quantum, Theodore, ſecundis
Cœlitibus debes, cui molles contigit annos
Exigere, Herculei ad laudem quà dextera ducit
Pars bivii; nec jam mora blandior obſtat eunti,
Deliciis Fortuna ſuis; nec tramite recto
Lubrica ſejungunt magnorum exempla Penatum!
At noſtrum repetamus iter; pars maxima quamvis
Jam nobis exacta viæ eſt, ac terminus inſtet.
Sæpius obliquè mihi, comptulus unus, et alter,
Perſtrictus, (nec te latet) aut dum ſuggerit ipſa
Lectio

Lectio tale aliquid, prompta aut occasio poscit,
Erubuit fortasse, aliis ridentibus; at vix
Inde minùs crines compsit, speculumque revisit.
Nunc autem, quæ de nostris Ganymedibus, et de
Narcissis mihi sit, misso, sententia, risu,
Scire velis. Paucis rem protinus accipe; quamvis
Id nostræ præter stadium, officiumque Minervæ est.
Hic quoque crediderim extremum tibi utrumq; cavendum.
Nam quisnam ingenuos, Urbisque exempla futuros,
Discipulos amet incomptos, similesque Cyclopi;
Quales Diogenes mallet, vel Stoïcus alter,
Cui pulchræ sordes, cui tantùm gloria barbæ?
Aut quales etiam veniunt ad Palladis artes,
Extimulante fame, ac fati majoris amore,
Heu! nimiò plures: alii de montibus altis,
Gentili dignum referentes vomere vultum
Nimirum, atque habiles Cereri, Martique lacertos:
Ignotis alii e laribus, curtaque taberna,
Queis toga sordidula est, tonsi, erective capilli,
Et pexi nunquam, nisi festis fortè diebus;
Aut pleno recitant septem cùm verba theatro,
Commodat atque illis vestemque, ensemque, galerumque,
Et thecas, manibus ridendum tegmen in istis,
Mæcenas aliquis, vel dives Patris amicus,
Aut Dominus; namque hi de nato magna Parenti
Promittunt faciles, miseroque subinde Magistro
Bœotum invitâ commendant usque Minervâ.
Adde, quod hic ipsum pœna majore docentem
Afficit auditor; dum scriptum corrigit uncto
Thema in codiculo, productos sordidus ungues,
Illotasque manus: dum tota sedentis in ora
Aut porrum, aut cæpam, aut pesti metuenda, sed ipsa

Majorem, haud raró eructat simul allia, pestem.
Sæpe etiam, rauco dum pendet stiria naso;
Inversâve manu abstergit, digitisve duobus
Exprimit in lævam, et solea terit inde sonanti.
Id tamen optandum potiùs; ne pinguior ultro
Decidat, et picto maneat pituita Magistro.
Nil, equidem fateor, vel longè hìc tale timendum;
Quippe loci ratio vetat, et civilis honestas,
Et juvenum genus egregium, patriique penates.
Curandum potiùs, ne quis contrarius erret:
(a) Sive frequens nondum natam sibi fingere barbam,
Inque diem rasis majorem ostendere frontem
Crinibus ediscat: manicasve indutus odoras,
Vel dum adstat sacro, lustralemque accipit undam,
Pyxidulas Tusco ex ebore, argentove Britanno,
Sæpius offenso quæsita piacula naso,
Extrahat: aut crebris tonsorem Allobroga vexet
Questibus, et miseros sutores in cruce figat.
Hæc, haud inficior, levia, et quæ comptior ætas
Excuset; si non aliquid mihi majus in illa
Significent. Sed enim studium mentisque, comæque,
Ardua res; nec rara minùs facundia culto
In vultu, et mores muliebri in fronte viriles.
Consule mansuras facies in fronte Librorum:
Invenies calvum Ciceronem, acrisque minorem
Cæsariem Taciti: fusco simul ore Maronem
Aspicies, atque ora tuo pallentia Tasso.
Ipse etiam, quo se Ganymedes teste tuentur,
Scilicet ingenio, vultuque insignis Apollo,
Pulvere

(a) Nonnulla hìc, et in Sermone reliquo, perstringit Poeta, quæ vix in uno, aut altero Convictorum observaverat, cæterique omnes irriserant.

Pulvere nec Paphio ſincerum verticis aurum
Polluit, et nunquam ſe compſit more Sororis.
Virtutis quod opus fuerat, non artis, in anno
Vix Xanto lavit bis, aut ſemel amne capillos:
Hic olli ingenua trepidans cryſtallus in unda
Pro ſpeculo, et breve conſilium vultuſque, comæque.
Momentum tamen ut majus rationibus addam,
Dic age: Præceptor dum feſtis antè diebus
Lethalem procul ex animo depellere noxam
Admonet, et penſum nulla non luce diurnum
Virgineæ Matri perſolvere: dum docet arctos
In Cœlum, et latos patefacta in Tartara calles;
Atque adeo hærendum paucis, turbamque cavendam:
Quis ſtertit, quis dormitat, gratique moratur
Impatiens æris ſonitum? Vix unus, et alter
Bellulus; et cui mens longè, latèque vagatur,
Inque ſuis tantùm longa eſt patientia nugis.
Tanti cura comæ eſt, et formæ grata voluptas.
Sed quid ego, ad mores quidquid conducat honeſtos,
Ingenuaſque artes, fruſtra dixiſſe laborem?
Expediam citiùs, quoties latrantibus Umbris
(a) Salenſes per agros, profugos erraverit ignis
Miſſilis in Lepores; et notas ſæpe myricas,
Aut ſalices, aut innocuas offenderit ulmos:
Quin ipſos quandoque Canes nil tale timentes;
Nam quis tam luſcus, Lepores ut crederet illos?
Promptiùs enumerem, quoties, diſploſa ſonantem
Fiſtula dum fumum emiſit, mortemque paratam
Aut Turdis, aut conſpectis Perdicibus, inde
Inſontes viduæ pulli cecidere Columbæ;

Aut

(a) Sala, *Villa inſignis, ac venationibus celebris; ubi Parmenſis Collegii Convictores autumnales ferias agunt.*

Aut dubio quoties Auroræ a lumine primæ
Jam medium ad Solem venantes usque sodales
Per nemora, et sylvas, et inhospita lustra ferarum,
Viribus exhaustis tandem, vacuâqua lagenâ
Pulveris, et madidos crines post terga revincti,
Inclusi vel post humeros pendente crumena,
Nil præter magnum sudorem in tecta tulerunt.
Usque adeo in multis tot sunt, quæ carpere solers
Censor jure queat. Sed pleraque corriget ætas,
Et sapiens locus, inque loco mora longior ipso.
Tu porrò, quod agis, magnis insistere cœptis
Perge libens. Sed mens curâ non ampliùs unâ
Anxia, præcipuum, morum, studiumque Minervæ,
Credat opus; nec sit quidquam præstantius illo.
Ego cave, sis ardelio; curæque secundæ
Sint cithara, et [a] *Corvi* gladius, saltusque [a] *Mieggj*,
Ludicra vexilla, et secto de robore Xanthus;
Et quidquid sani tantùm post seria discunt.
Jamque vale; et, nostra est unquam tibi siquid opella,
Quò me cunque feram, memor utere. Perbreve vocis
Instar epistolium, credas, præsentis habebo.



ADO-

(a) *Digladiandi Magister.* (a) *Magister saltandi.*

ADOLESCENTIBUS
POETICES STUDIOSIS

Plurium simul Poetarum lectionem obesse plerunque; ab iisque legendis cavendum maximè, qui amatoria, ac minùs honesta pertractant.

SERMO QUARTUS.

Finge tibi, qualem Ausonio Cleopatra marito
Instruxit, quæsitam elementa per omnia cœnam:
Aut qualem ostentat nostro quoque tempore laudis
Ambitiosa fames; quoties celebrans hymenæos
Jamdudum optatos, uni patrimonia mensæ,
Speratasque impendit opes, dotemque futuram.
Ergo ibi, quæ nostris nascuntur fercula terris,
Ut sileam: quidquid vehitur pelagique, solique
Rarius externi, lassamque invitat orexin,
Concipias. Non jam sylvæ Calydonidos Apri,
Non volucres, Medea, tuæ; Lucrinave desint
Ostrea, et ingentes Rhombi, Mullique trilibres:
Quemquè sibi descripta super convivia semper
Ponebat Rhetor Picens, avis unica Mundo
Phœnix, attonitæ spatium admirabile mensæ.
Adde novam cœnæ faciem, luxumque fecundum,
Ignotos fructus, alioque ex orbe petitum
Autumnum, et gelidam æstatem, viridemque decembrem.
Adde merum, cujus pretium metuenda senectus
Augeat: adde cados, et Bacchi nomina centum,
Indice quorum opus est miscenti pocula longo:
Et quidquid lento sorbendum molliùs haustu

Advenit

Advenit in cyathis, menſæ ultima cauda, puſillis.
Quæ maleſuada fames, ventriſque inſana voluptas;
Accumbens ſiquis patina ſe ingurgitet omni
Anxius, et nullum impatiens neſcire ſaporem?
Pallidus inſurget cœnâ, crudumque ſilurum,
Pavonemque gravem, pugnantiaque oſtrea mixtis
Boletis ſtomacho eructans nebulone, priorem
Malit habere famem, vacuæ ſimul invidus alvo.
Ut ſano potiora forent convivia ventri,
Ingenuâ dapibus præmiſsâ pulte futuris,
Elixum vitulæ pectus lactentis, et aſſum
More Italo par pullorum; quos villica miſit
Selectos toto criſtatæ de grege chortis.
Inde aliquid menſæ, ſtomacho ſera grata, ſecundæ:
Quattuor, hæc inter, mordentis pocula Bacchi,
Et veteris; quamvis noſtris in collibus orti!
Cætera turba dapum picturâ paſcat inani.
Doctorum ſcripta, et veterum quoque carmina vatum,
Quis non ingenuæ ducat convivia menti?
Magnum operæ tamen eſt pretium cognoſcere, quantùm
Librorum farrago ingens diſcentibus obſtet.
Non ego, qui notas exercent Palladis artes
Jamdudum experti, moneo; robuſtior illis
Quippe vigor mentis, par et majoribus eſcis,
Digerat apta ſibi plures in pabula libros.
Vobiſcum nunc ſermo mihi eſt, mea maxima cura,
O Juvenes; quos grammatico vix pulvere nuper
Deterſos parte ex omni, et ſermone Latino
Inſtructos, bifidum ad collem nunc lætus Apollo
Excipit, ac teneros Muſis commendat alumnos.
Gratum porrò mihi eſt, quòd non ignota Poeſis,
Quòd placeant verſus; quòd vobis nomina vatum
Dicere

Dicere jam promptum eſt, quos et longinquior ætas,
Quos ætas et noſtra tulit. Sed, protinus omnes
Evolvat ſiquis nullo diſcrimine, nec, qui
Præcipuè expediant, diſcat ratione magiſtra;
Olli diverſæ rudis, indigeſtaque venæ
Sorbitio nec jam validas in carmine vires
Sufficiat, nec de tot præſtet vatibus unum,
Quem referat verſu ſimilis, fingatque canendo.
At pulchrum eſt juveni quemvis dixiſſe Poetam
Extemplo, et partem Taſſi, partemque Marini,
Atque aliquid (a) Bevilaquæ, aliquid recitare (a) Pradoni;
Si jubeat Pater, aut Præceptor notior illo,
Cognatis circùm mirantibus, et plaudentum
Longo equitum feſtam ad menſam, et ſimul ordine matrum.
Sit pulchrum id ſanè; quando tam pulchra fatetur
Turba, atque accumbens menſæ Præceptor eidem.
Nil ego reclamo, quamvis fortaſſe mereri
Pſittacus hanc poſſet, vel Pica domeſtica laudem;
Par illi quando doctor, ſtudiumque fuiſſet.
Adde, quòd hinc puero jam grandes vertice criſtæ
Altiùs exſurgunt; quid enim non credere de ſe
Audeat, ignotum cui nil putat eſſe, quod uſquam eſt,
Quandoquidem rerum titulos, et nomina novit?
Nec tamen Etruſcè eſt olli, certuſve Latinè
Dicendi ſtylus: et, ſiquid ſcripſiſſe jubetur
Aut vincto interdum, aut etiam ſermone ſoluto;
Plurima materies, ſed nec pes, nec caput ulli
Reddetur formæ; pingueſque ſubinde ſolœci
Occurrent, phaleris circùm, phraſibuſque nitentes
Invitis. Qualis, mavortia ferreus ora,

Nudus

(a)(a) Boileau, Pradon, *Poetæ Gallici; ille Satyricus, hic Tragicus.*

Nudus villosum pectus, sævosque lacertos,
Et reliquo grandes indutus corpore brachas,
Pannonides miles nobis spectacula nuper
Pulchra dedit; dites postquam bacchatus in ædes
Et manibus speculum, et muliebres vertice cristas,
Suggestumque comæ, vittasque exinde fluentes,
Haud tali assueta, heu! capiti ornamenta, gerebat.
Hoc illud pulchrum est, propter quod publica gymnas
Spernitur, et multo conducitur ære magister
Comptulus, urbanoque tenus tantùm ore disertus.
Ergo, ad propositum ut redeam, si tramite recto
Ire juvat doctæ paulatim ad culmina rupis;
Nunc vobis, Juvenes, (id magnus suadet Apollo)
Qui monstrent iter, et vestigia tuta relinquant,
Binos, et veteres tantùm, concedo Poetas.
Qui magis expediant, (neque enim fòrs omnibus ijdem
Expediunt) vestrum quemvis exinde docebo.
Christiada interea Vidæ, Stellasque vagantes
Pontani, atque alios illo pòst tempore Vates,
Et quidquid mittit laudatis Gallica chartis
Ad nos Melpomene, paulùm seponite. Siquid
Illorum hinc, atque hinc selectum agnoscere fas est,
Ipse legam; et, si res poscat, tempusve, locusve,
Tradam ultro, ex illis vestrum quid cuique legendum.
Ast alios venæ insulsæ, Marsique nepotes,
Et Volusî, quorum nunc dicere nomina nolo,
Quamprimùm aut unctæ, famulo mandate, tabernæ
Deferat, aut [a] lusco det dono Pharmacopolæ;
Hæc quid enim sperent, nisi scombros carmina, vel thus?
Audio sed, vestrum quid secum mussitet alter.
Sunt

(a) *Pharmacopola Parmensis Nobilium Collegii.*

Sunt mihi nescio qui Latii, Etruscique libelli
Versibus insignes: ipsorum in fronte videtur
Forma Deæ, sive illa Venus, sive illa Diana est;
Atque faces pueri circùm jaculantur Amores.
Hos ego fortè domi vetera inter scripta repertos,
Laudatosque mihi, patria huc ex urbe libellis
Cum reliquis mecum ipse tuli; jamque unus, et alter,
Quanquam obiter tantùm, et vix hìc mihi lectus, et illic,
Mirum est, quàm placuit. Sanè et mihi dulcior ipso
Virgilio, et magis ingrediens, facilisque videtur.
Quis vestrum nunc hæc, et talia plura loquatur,
Dicere non possum. Quis vestrum dixerit olim,
Nec volo, nec prudens possum, sed dicere possem.
Ergo, quisquis is est, illos si fortè Poetas
Servat adhuc, nec sat notos, nondumque nocentes:
Ilicet aut sancto studii, morumque Catoni
Deferat; aut rapidis ipse ultro, sævior illo,
Addicat flammis. Pœnâ nil pulchrius istâ
Hinc læto spectet Pudor, inde Modestia vultu.
At Vates cur in teneros, et amare docentes
Durus ego vates? Id lubrica scilicet ætas
Imperat, et nimiùm pueris, heu! dulce venenum;
Siquod in argento præsertim, aut splendet in auro.
Unde, rogo, sæpe hæc ætas, virtute relicta,
Vertit iter? Primæ veniunt in carmine flammæ.
Inde novus venis calor, ignotumque medullis
Serpit nescio quid, longæ præludia febris.
Cedit laudis amor, discendique æmulus ardor
Languet iners: jam desipiunt et Palladis artes,
Et pietas, et cura Deo, divæque placendi
Parthenidi. Vultus alios, alia ora tueri
Jam placet; et, formas dum mens jejuna revolvit

Carmi-

Carminibus pictas, amor est jam cernere veras.
(a) Vosque mei quondam comites, o terque, quaterque
Felices; tota fas est quibus urbe vagari,
Quandocunque libet! Primi nunc vesperis ortu,
Mollia quà lentis captantur frigora bigis:
Nunc quà festum implet templum peregrinus Arion,
Aut tacitum Siren longè conducta theatrum:
Nunc compti quà conveniunt equitesque, nurusque,
Ut choreis, ludoque vacent; aut noctis amicæ
Innocuas lætis ducant sermonibus horas.
Ecquando longas liceat rupisse catenas
Et mihi; quamquè miser jam nunc intelligo, cara
Libertate frui? O sævi mihi carceris instar
Triste Sodalitium! O durus Pater! Ergo manendum est
Hìc mihi tres propè adhuc annos? Jurisne peritum
Esse Equitem juvet; aut Logicen, Physicenque, aliasque
Patritium hìc deceat juvenem nunc discere nugas?
Sed jam cæca loquor plerisque ænigmata. Quidnî?
Non hæc historia est, aliquid sed verius ipsâ;
Id vobis tamen est Sphingis, quod gratulor, instar.
Ergo, ne morbo quisquam, votoque laboret
Consimili, vatem prudens procul arceat omnem;
Unde novum tenui pectus pice lubricus ardor
Molliat, et vafro sensim præludat amori.
Quin veteres quosdam haud tutum evolvisse Poetas,
Eunuchi nisi sint, atque hinc, atque inde minores;
Quippe illic Jovis insidias, et Apollinis ignes,
Pluraque de genere hoc, vittis quæ Naso solutis
Concinit, inversis dum narrat corpora formis,
Inve-

(a) *Verba Adolescentis cujusdam, qui in Collegium redierat; postquam autumnalium vacationum tempore major, quàm par est, agendi, vagandique libertas a Parentibus permissa ipsi fuerat.*

Inveniat ſimplex puer, et magis hæreat illis.
At quid in hoc vitii eſt? Ficti narrantur amores
Scilicet, et toto nihil eſt, niſi fabula, libro.
O magnum ſanè Sophon! An non ſæpe theatro
Das lacrymas, nec habent quidquam infortunia veri?
An non, ſi pudor eſt, velo pictura jubetur
Obduci, qua vel Danaes, vel fabula Ledæ
Cernitur, aut libro deſumptum crimen ab illo?
Uſquè adeo mentemque, animumque immiſſa per aures,
Perque oculos, pulchri ſpecies, et amica voluptas,
Ingreditur blandè; neque enim, licèt addita falſo,
Ipſa ſimul falſa eſt: aliter nec falleret illud.
Sed magis Etruſcos quoſdam exhorreſcere vates,
(Vix notos famâ tantùm mihi, credite, vates)
Siquis amor, ſiqua eſt vitrei tutela pudoris,
Diſcite nunc, Animæ inſontes. Præſentius illis
Virus ineſt, et dira lues; quippe illico mentem
Vel ſine Farnabio, et præcordia molliùs intrant.
Quid quòd et (o noſtri labes, et dedecus ingens
Permeſſi!) haud rarò bacchantur fronte minori,
Quàm veteres; quod enim non implet Cynthia carmen,
Aut quæ non oculos, aut crines pagina Cœlo
Evehit, et lenam locat inter numina formam?
Cùmque ſuos, eademque ſui pulcherrima Nati,
Parthenis exhibeat, nova Cœli gaudia, vultus,
Chriſtiadæ cauſam vati, pretiumque canendi:
Cùm ſimul ipſa ſuos vati promittat amores,
Quodquè magis mirum, vatis cùm poſcat amores;
Ah! malè ſecreta læves de pyxide vultus,
Imbelleſque genæ, cognataque vermibus ora,
Eripiunt vati mentem, ingeniumque profanant
Mollius, et vetitis inceſtant carmina votis.

Nec jam secretus pudor, aut reverentia famæ
Hæc alios celare jubet. Jam publica fiunt,
Versarique manu miseræ placet usque juventæ;
Et memor hinc læto speratur gloria vati.
O pudor! O, castæ quondam, sors impia Divæ!
Hoc prodesse tuum est, hoc delectare, Poesis?
Causa tamen jam nunc longum levat una dolorem:
Nempe legit, laudatque eadem, quæ protulit, ætas
Lemenios, *Madios*que, et [a] quem Florentia jactat
Patritios inter vates; Patresque togatos.
His quippe, atque aljis tam magna exempla sequutis
Ingenuum debes cultum, tutamque pudori
Virgineo formam; nec jam minùs ore modesto
Pulchra places, nec pulchra minùs tibi gratia morum est.
Ergo, tibi quondam, atque aljis gratissima, Vatum
Turba minor, (sive id mores, seu cæca ferebant
Tempora) cui Paphio fractùm, atque imbellè sonabat
Uncta chelys lardo: dignum melos æthere puro,
Ignotumque sibi, nec jam sperabile carmen,
Attonita bibit aure procul, vocemque, lyramque
Ipsa suam premit ultro, omnique ex parte relinquit
Vatibus Etruscam venientibus Hippocrenen.
Diffugiunt latè turpis Lepor, oraque picti
Fœda Sales, junctique dolis Risusque, Metusque;
Atque omnis falsæ Cypridos, Puerique procacis
Turba sequax. Festo succedunt agmine contrà
Virgineo Charites vultu, Pietasque, Pudorque,
Et sanctus Dolor; et quidquid Jordanis ad undas
Tristia Jessæo deduxit carmina plectro.
O nostri nova nunc facies, et gloria Pindi!

Atque

(a) Vicentium Filicaja, *Senatorem Florentinum, eumdemque præstantissimum Poetam.*

Atque utinam .... At num, quæ videor mihi pulchra tueri,
Prospiciunt alji; an me ludit amabilis error?
Vos ergo, hìc pueris morum Deus esse Magistros
Quos dedit, ac studio Patres, et amore secundos:
Pergite damnatos procul hinc avertere Vates;
Quippe, licèt profugi, mentita fronte vagantur
Huc, illuc; et adhuc miseris vis sæva nocendi est.
Præcipuum vobis sit, ut est, inquirere, nequis,
Tuta velut captans mus tempora, tramite cæco
Subrepat furtim, curamque eludat inanem.
Tum juvenum (sani nimirum id sponte Parentes
Concedunt) nec vos intrò suspecta tueri
Scrinia; nec pigeat secretâ evolvere dextrâ,
Quos etiam exponunt ipsi longo ordine, libros.
Forsan in his a tergo aliquis sit nomine sancti
Inscriptus falso auctoris; sed aperta docebit
Frons libri, quàm non idem, ac diversus ab illo est.
Intererat Sacro, meus olim auditor, Alexis,
Egregii puer ingenii; sed mobilis idem,
Nec patiens studii. Quid quòd, malus hostis utrique,
Obstabat genus, et species: nimiùmque Parenti
Dilectus, morosus erat, graviorque Magistro?
Ergo inter reliquos Sacro semel ille sodales
Cùm, matutino jam ludo egressus, adesset;
Sæpe observantî (pars hæc quoque magna Magistri est)
Longè alium mihi tunc spectare videbar Alexin.
Quippe gravis, tacitusque, et vultu immotus eodem,
Nescio quid, sacro meditantis more, legebat:
Virginea aut credi posset Psalmodia, pœnas
Aut Enchiridion monstrans post fata timendas.
Hæc mihi jure tamen potuit suspecta videri
Tunc pietas, et jure fuit; nam tempore Sacri
 Lædere

Lædere nunc pedibus, cubitoque urgere sodalem,
Nunc oculos circùm, mentemque assuetus euntem;
Vertere, cur subitò tantùm mutatus ab illo?
Inde ego posticus, ne quid deprendere posset,
Paulatim accedo muto pede, jamque legenti
Adsum improvisus: nec me venisse putavit
Ille tamen; nisi dum, subito ceu fulmine tactus,
Sensit sublatum e manibus, stupuitque libellum.
Sed quid in hoc metui posset fraudisve, dolive;
Cui geminam nigro piscis de tergore frontem
Jungebat duplex, niveo perfecta metallo,
Ansula: quod frontem extantem medium inter utramq; est,
Vivaci obductum fulgebat læviùs auro?
An non hæc deceant sacrum, ostendantque libellum?
Hæc erat ipsa tamen potior mihi causa timendi.
Inspicio titulum, tituloque exterritus hæsi:
Hei mihi! *Pastor* erat, sed falso nomine, *Fidus*:
Qui tot oves, qui tot per mollia subdolus agnos
Pascua seductos Cypriis immiserit agris;
Unde capræ rediere, hædique subinde petulci.
An non sub tanti pius, atque modestior idem,
Pastoris curâ noster simul esset Alexis?
Nempe preces, aptosque Sacro tunc, doctus ab illo,
Volvebat Psalmos, sanctumque bibebat amorem.



IN

IN IMAGINES

Minùs modestas, ac liberiores,

Quæ venalibus in Chartis præsertim visuntur.

SERMO QUINTUS.

AD THEODORUM,

Suum olim discipulum.

NUnc age, jam molles cautus legisse Poetas,
Cognatos cave Pictores; quibus æqua potestas
Quidlibet audendi semper fuit. At mihi torvæ
Rumpantur buccæ, vitreusque exardeat acri
Felle dolor; si cuncta oculis metuenda pudicis
Irato feriam Pictorum crimina plectro.
Ergo alii sævum tragico bacchentur hiatu
Carmen, et incestas poscant ab judice morum
Ad flammam tabulas; nec pœnam vitet Apelles.
Parrhasios agitet tantùm mea musa minores.
Quanquam et in his dubius labor, et res plena perîcli est.
Jamque novus castæ, ut video, subit ora Camænæ
Pallor, et insuetus totos tremor occupat artus;
Quippe, utrinque tenax ne sit, timet anxia, limus,
Lubricaque in medio via, nec pede latior uno.
An non præstet iter Musæ differre timendum,
Dum paret aut ocreas, aut altos illa cothurnos,
Atque animum; ne quid via, vel metus obstet eunti?
Id porrò expediat, ni tu tamen usque repugnas.

Ipſe datam cras deinde fidem, promiſſaque verus
Exequar; aut certè, ſi non cras, luce ſequenti.
Interea, de propoſita tibi ſcilicet ut re
Dicam aliquid, lepido dignam nunc accipe riſu
Hiſtoriam; lapſo nuper quæ contigit anno.
Sub medium Martis menſem, cùm Sole tepenti
Sepibus excurrunt propiùs, foſſiſque lacertæ,
Et noſtro apricas Progne quatit aere pennas;
Perque cruor venas teneris ſalit acrior annis,
Nec potis eſt illos raucus frænare Magiſter:
Venerat et doctis noſtræ Ganymedibus urbis,
Ipſis et nuribus, quibus eſt ſapientia major,
(Scis bene, quas multis ſapientes dicere mos ſit)
Jamdudum nullam non expectatus in horam,
Gallus homo. Gentis communi nomine notum
Sic illum dicunt: proprio tibi nomine notus
Fòrs erit: ipſe unum id memini, quod deſinit in *Tet.*
Jam verò, Auſonium patriæ poſtquam intulit aurum,
Inde redux capſas librorum quattuor, et tres
Attulerat pictis confertas undique chartis,
In quibus inſignes ſpectes equiteſque, nuruſque,
Præcipuèque nurus; namque harum copia major
Venditur, atque illas jam paſſim fingere mos eſt
Nunc ludo intentas: nunc quales excipit aula,
Comptas, atque graves: nunc quales pulchriùs ipſæ
Excipiunt venientem equitem: nunc denique quales
(Mitto alias formas) moroſum fingere ſe ſe
Ad ſpeculum, Niſumque ſolent audire videntem.
Ergo hominis poſt adventum Sol tertius ibat:
Ipſe domo, atque alter mecum collega laboris
Palladii, ſimul egredimur. Pomœria propter,
Undantis procul a ſtrepitu, populique tumultu,
Mens

Mens erat ire; frui Cœlo quà posset aperto
Fessus uterque graves post longæ gymnadis horas.
At, seu nos tulerit sors, seu mens prævia Cossi,
(Collegæ id fuerat nomen) transivimus illac,
Quà nitidam Galli, notissima signa, tabernam
Monstrant expositæ longa cum casside Nymphæ.
Tum Cossus, paulò Gallis addictior, et quem
Scire juvat, quidquid librorum Gallia mittit:
Mecum adsis paulisper, ait, quando ipsa taberna
Nos ultro invitat. Nova secum, dignaque lectu
Plura tulisse ferunt hominem; mihique unus, et alter
Est opus, haud aliàs inventus, Gallicus auctor.
Ingredimur, quando per me mora nulla volenti est.
Ille hominem amplexus, veterem compellat amicum;
Et quid agat, cur hoc tam serus venerit anno?
Ecquid Racini secum ferat? Anne Pradoni
Exierit quidquam melius? Nuribusne disertis,
Contra Ignatiadas, Iprensis turba legendum
Ediderit quidquam probrive, salisve recentis?
Annè legi tandem facundia sacra Ruæi
Possit; et [(a)] alterius, cui Gallia tota loquenti
Plaudit, et invictus Lodoix? Tum plura requirit
Impatiens diversa, neque illum verba parantem
Respondere sinit: discendi tanta cupido est.
Interea varias circùm tunc ipse figuras
Intentus meditor, si fòrs ea tædia fallam;
Namque hìc, ut video, nobis mora longa futura est,
Speratas captare licet nec jam ampliùs auras.
Mutatas hominum datur illic visere formas,
Quas tener, heu! nimiùm cecinit Sulmonis alumnus.

(a) P. Bourdalove.

Hìc et Cyrrhæus fugientem Daphnida vates
Insequitur: vaccas idem pavisse Pheræas
Cernitur, ignota turpis mercede bubulcus.
Hìc miserum totæ discerpunt Orphea Bacchæ;
Fatalique suum Meleagron stipite damnat
Thestias, et victrix soror est genitricis in illa.
Hìc laceras vestes meditatur, falsaque Thisbes
Funera deplorans, perimit se vulnere vero
Pyramus. Adveniens ferrum in sua viscera Thisbe
Vertit idem, neque adhuc gelidum complexa cadaver
Procumbit: sola, heu! miseros mors jungit amantes.
Hæc argumento peccant; sed imagine nullos
Offendunt oculos: amor est miserabilis illic,
Et furor. Et cui tam carò insanire voluptas?
Plura tamen post hæc tenero nocitura pudori
Prostabant, flammasque dabant, flammasque merebant.
Nam cui spectetur currens Schæneia Virgo;
Aut monstro, evinctis manibus, devota marino
Filia Cassiopes; aut quales vidit in undis
Inscius Actæon Dryadas, Phœbique Sororem?
Inde Jovis falsi vultus, et cætera Divûm
Furta sequebantur, quibus olim fabula Cœlum.
Tunc læso trepidos averti lumine vultus:
Forsitan et subitæ mihi torva vicarius iræ
Ora pudor subiit; quis enim prohibere pudorem,
Aut justam possit, dum talia conspicit, iram?
Senserat id prudens Gallus, digitoque videndas
Ostendens alia diversas parte figuras:
Hæc sacra Historia est; nil non sanctum, inquit, in illa.
At calidam fugiens vivos elabor in ignes.
Primam conspicio longis cum crinibus Evam;
Qualis erat nondum fatalis conscia pomi,

Et

Et poterat ſalva tunc ſolùm fronte videri.
Inde eadem textas ſonti cum conjuge frondes
Induit, et trepido ſimul hæc, ſimul ille pudori
Conſulit ; at neuter ſat conſulit inde pudori.
Plura dein timidæ veniunt innoxia fronti,
Quæquè metum faciant ſceleri, et virtutis amorem.
Aſt aliquid tamen haud rarò ſe ſe inſerit illis,
Cujus ab aſpectu trepidet Pudor anxius, et quod
Narratum cautè patiens vix audiat idem.
Nam cujus, quæſo, vultus (ut cætera mittam)
Haud procul Hethæi conjux incauta mariti
Avertat; qualem ſpecula proſpectat ab alta
Jeſſiades, cæcumque avidis obtutibus ignem
Ebibit imprudens? Cui, quamvis caſta, probetur,
Qualis ſe nulli credit Suſanna videndam;
Viſa tamen vafræ ferit anxia corda ſenectæ?
Quod tamen irati major mihi cauſa doloris,
Et te, Pictorum crimen commune, videre eſt,
Magdalis: ah! quàm non eadem, quàm degener illi,
Quæ læſi veniam meruit, laudemque Magiſtri!
Hei mihi! Qualis eras? Vix audeo dicere: ſtantes
Nuda ſinus, ſtudioque comas neglecta fluentes,
Gemmarumque loco, quas vani projicis uſus
Damnatas, lacrymis inſtructa decentiùs ipſis;
Et tota ad ſpeculum meditato compta dolori.
Quis talem credat vultum ſua crimina tangant?
Quem tali doctum vultu ſua crimina tangant?
Ah! non illa dolet, ſed amat, ſed quærit amari
In luctu tam culta; neque eſt ea forma dolori.
Heu! nimiùm vel poſt lacrymas, melioraque fata
Infelix! Vix talis erat, dum lubrica cerni
Mortales traheret, quorum nunc tædet, amantes.

Et nunc, credo equidem, mutato nomine fiet
Hæc eadem, Phryne; vel quam, patriæque, sibique
Exitium, Phrygius rapuit Lacedæmone pastor.
Hæc oculos in humum dejectus, pluraque mecum
Effabar tacitus. Sed, ne morosior essem
Spectanti Gallo, bilem, stomachumque tenebam.
Quin, age, tunc dixi, divinæ siqua Parentis
Est tibi, sive alium vultus gravioris Imago
Cœlicolûm referens; mihi quam spectare subinde
Componat mores, mentemque in sydera tollat,
Exere. Continuò plena depromit ab arca
Plures ille: Deas veterum, similesve putabam
Ipse nurus, vultu nitidas, comptoque capillo;
Quales esse student nostræ, gaudentque videri.
Falleris at longè: nihil hìc damnare profani,
Nil potes haud sancti: subjectum conspice nomen
Cuique suum, tunc Gallus ait, propriamque triumphi
Materiem. Hæc Agatha est; illa immaturior, Agnes.
Quæ tenet, hæc, citharam, digitisque intendit eburnis,
Cæcilia est. Quis non lætis cum floribus illam,
Dorotheam agnoscat? Plures simul addit; at idem
Vultus erat plerisque, et cultus corporis idem:
Omnes Lutetiæ credas hoc tempore natas;
Aut ubi nunc sanctam Solymen conjungere comptæ
Lutetiæ, vultuque utramque ostendere eodem,
Sæpe solent quædam, si vera est fama, Sibyllæ.
Ergo mihi hærenti dudum, et nihil usque probanti,
Acriùs obliquo subridens lumine Francus:
Næ tu, inquit, timidus nimiùm, imbellisque pudoris
Relligiosus homo es: vultu quem terreat ipsa
Fœmineo Pietas, et pulchro in corpore Virtus.
Hoc ipso magis arrident, et pluris emuntur
Sanctæ

Sanctæ Parthenides, si nescis, pluribus. Hinc nos
Illas, hinc tales Belgæ pinxere priores,
Vos Itali quoque; nam quantò culpantur apud nos
Prothogenes vestri tabulis pejoribus? At, si
Mavis ipse nigra vultus in veste viriles,
Et mœsta Patrum venerandam fronte senectam;
En tibi non tot, quin plures. Simul explicat ipsas
Cœlicolûm effigies; inter quas altera magni
Lojolæ; Mauros circùm erudientis, et Indos,
Altera Xaverii fuerat. Ne longior essem,
Nève homini labor esset inutilis; utraque Imago
Empta mihi. Quanti? Justo dedit ille minoris,
At duplo pluris, quàm si foret edita Romæ:
Parisiis siquidem pretium venisse secundum est.

Tum Cosso tandem, (neque enim jam exire parabat,
Nescio quid sacri postrema in parte tabernæ
Dramatis evolvens: (a) *Ataliam* nomine dicunt)
Ohe! jam serus latè crescentibus umbris
Vesper adest, dixi: quid adhuc impune moramur?
Ille, velut longo somno excitus: O mihi magni
Racinum, exclamat, Senecæ instar! Blandus ut intrat
Pectora, seque fibras versat sinuosus in omnes!
Hinc laudata mihi lecturus carmina surgit,
Innectitque moras. At, cùm non segnior illum
Urgerem, quantum nostras repetentibus ædes
Restet iter, primasque invitet ut hora lucernas,
Pluribus inculcans; Gallo committit in aurem,
Plurima, mox eadem rursus commendat eidem.
Inde domum tandem obscura jam nocte redimus.

Ad

(a) Racini *Tragædia sacra, quæ inscribitur* Atalia.

AD EUMDEM,

IN IDEM ARGUMENTUM.

Et quàm incommoda Pietati, ac Sapientiæ ſit hodierna Seculi Mollities.

SERMO SEXTUS.

EN tibi me, Theodore, heſternis ſtare paratum
Promiſſis. Sed adhuc, dum certus ſcribere tento
Nec puero, et cauto venturum carmen amico,
Anxia ſcribentem nigris circumſtrepit alis
Suſpicio; et centum Pudor ipſe ante ora Timores
Ire jubet miſero, calamumque ſubinde moratur.
Et, tibi agenda quidem eſt totis mea cauſa lacertis,
Exclamat; quid enim miſero non uſque Pudori
Damnorum tulit, heu! pejor Pictura Poeſi?
At, ne quid noceas, dum vis prodeſſe, cavendum eſt,
Nève ſit exemplum nimio (a)*Roſa* percitus œſtro;
Nam nec ſæpe loqui tutum, quod turpe videre eſt,
Nec pictum quod damnatur, fas carmine pingi.
Hæc, et plura monet; tum ſingula verba canentis
Ad trutinam dubius vocat, adſtanteſque Timores
Conſulit: hoc nimium eſt, hoc eſt audacius, illud
Prætermittendum, dicendum obſcuriùs iſtud.
Me miſerum! Tuſco ſimilis nunc eſſe Philæto
Ipſe mihi videor, dum tentat, nec tamen audet
Effari, quod dudum agitat. Primò anxius hæret,
Mox idem ambages, et longa exordia lentus
Premit-

(a) Salvator Roſa, *Etruſcus Poeta, cujus extat liberiores in Picturas liberior fortaſſe Satyra.*

Præmittit; tum rem aggreditur, paulùmque moratur,
Et timet, et dubitat; gaudetque interprete mentis
Auditore ſuæ, ſic ut ſciat iſte, quod ipſe
Dicere vult, neque vult tamen id dixiſſe videri.
Ergo, quidquid habes hìc, tu bonus accipe, quanquam
Aut truncum, aut curtos exuccum forſitan artus;
Quandoquidem rigidi exactum ad præcepta Pudoris;
Effugit niſi ſiqua ipſum vox fortè Pudorem.

Unde, putas, tanti fiunt, quas Gallia mittit,
Illius et noſter quas pingit ſimius Orbis,
Venales Chartæ; quid enim raræ artis in illis,
(Excipio paucas, ut opus majoris Apellis)
Fingere cùm ſimiles tentet, qui limina pingit
(a) Crine ruber, roriſque emendat ſigna canini?
Imbelles, quamvis invito nomine, vultus
Nempe gerunt: fòrs inde placent, et pluris emuntur.
Credere quid dubites? Res jam notiſſima clamat.
Aſpice, mutatis jam nunc Elementa figuris,
Fluminaque, et Fontes, et Tempora quattuor anni,
Quattuor et Mundi Partes, tum ſingula Regna,
Virtutes, Vitia, et res demum quælibet, (unos
Deme viros, quanquam multum quoque fœminæ in illis)
Cre Deas, humeriſque Deas, frontemque, comaſque,
Et veſtes referunt, et cætera more Dearum.
At quales illic tu Divas, aut quibus aris
Dignas invenias? Quales vidiſſe ſeverus
Nimirum fugiat Pudor, et procul arceat; ut ſe
Ipſe Deo dignum fingat, precibuſque paratum.

Id tamen, ut dictum eſt alio mihi carmine, longè
Intolerabilius, quòd tales ſæpe videmus

Pictorum

(a) *Tapinographus quidam in Parmenſi Nobilium Collegio frequens.*

Pictorum vitio veras Heroidas; et quas,
Emeritis dignas aris, Cœloque receptas,
Parthenidas colimus: Nam quis tam frigidus, et tam
Bilis inops, cui non acrem Deus excitet ignem;
Cui non impatiens ſancto jecur ardeat œſtro?
Jam luxu circùm indecori, cultuque profano
Diſtinctæ; ac variis digeſtum, et ſtare coactum
Ordinibus crinem comptæ; truncoque patentem
Expreſsæ thorace ſinum, (quidnam audeat effrons
Ultra Parrhaſius?) paſſim ſpectacula fiunt:
Quæ crines olim inſontes, floremque juventæ
Virgineum, tunica in vili, et ſub paupere velo,
Devovere tibi, tuaque, o Pulcherrime rerum,
Connubia optârunt tantùm: tædaſque minores,
Mortaleſque procos, promiſſaque vana Parentum
Exoſæ, caſtumque decus vel morte feroces
Contempta ſervare, animamque dediſſe pudori.
Me miſerum! quænam chartis ſe noſcat in illis
Parthenis, aut animi vultumque, habitumque pudici
Inveniat; nec ſe potiùs, ſuaque abneget ora,
Heu! nimiùm diverſa ſuis, inſcriptaque radat
Nomina diſſimiles longè poſcentia vultus?
Admiror tamen ingenium Pictoris avari,
Execrorque ſimul; neque enim pinxiſſe patellas
Quæret inops poſthac, ſupremaque tigna domorum,
Quando Cœlitibus vultus appingere nôrit,
Quales nunc multi per templa, viaſque, feneſtraſque
Explorant oculo circùm, et venantur eunti.
Sic veteri (ſi parva datur componere magnis)
Crediderim Mundo priſcos placuiſſe Poetas,
Dum vitiis augent animos, demuntque pudorem
Grandibus exemplis: dum molli voce, lyrâque
Nunc

Nunc Cypriis actos stimulis in prælia mittunt
Heroas; nunc igne pari vexata relicto
Numina deducunt Cœlo, placidumque Tonantem,
At nuribus tantò metuendum impensiùs albis.
Sed jam omnem potuit paulatim auferre timorem
Picturæ, positus rigor, et mos cautus agendi;
Qualis erat Generis quondam, Nuribusque Latinis.
Nec jam illa inscripto Pietatis nomine lenas
Commendat tabulas, et crimina blanda tuetur.
Simpliciùs res nunc agitur: pinguntur eodem,
Quo teneri latè mores candore triumphant.
Præter Cœlicolas, mos olim exponere passim
Aut pictâ expressos telâ, impressosve papyro,
Præcipuos terræ dominos, belloque potentes
Induperatores; tum siquem publica virtus,
Sive supercilio dignum quid in æthera ferret.
Privatis tantùm laribus spectare licebat
Uxoremque, nurumque; et siquid lævius ipsis
Depictum vel sanctus Hymen, vel pravus amaret.
At nunc, sint quamvis, imbellibus ora, animumque,
Et nuribus plenæ, et plenæ Ganymedibus urbes;
Quæ non illarum, quis non se conspicit horum,
Tanquam aliquid spectandum aliis, oculisque nepotum
Discendum attonitis, venales iconas inter?
Cui non exemplar, cui non occurrat imago
Vel lecti Paridis, vel lectæ Heroidos ex his,
Quas circum properat, quas circum plaudit euntes
Flagrantum hinc, atque hinc turba anxia Cirratorum:
Quales aut lacerum Crabrones agmine denso
Festinant avidi circum volitare caballum;
Aut fatuos moto fingentem vertice ludos,
Cognatam Bubonis avem, caramque Minervæ,

Spectant

Spectant attonitæ circùm, exultantque volucres?
Quid quòd pyxidulis etiam pinguntur eburnis,
Atque hinc æstivis spectandæ, atque inde flabellis,
Clorides, atque Helenæ? Nimirum, pulvere flavo
Quod pascit nares, oculos simul icone blanda
Recreat Euryalis: et eodem sæpe flabello
Ipsi nempe sibi ancipites frigusque, caloremque
Efficiunt. O quot dicenda, tacendaque in hanc rem
Occurrunt, Theodore! Quot o mihi mascula verus
Suggerit, atque acri rorantia Phœbus aceto
Carmina! Sed prudens ultrà vetat esse disertum
Hìc Pudor, et sævo gelidam bonus injicit œstro.
Quod superest; quisnam teneris, Theodore, ruinam
Moribus, atque annis insontibus inde timendam
Explicet? An non et calido sub pectore nutrit
Accensum, et nondum tepido primum excitat ignem,
Blandior, et vafræ haud rarò lenæ instar Imago?
Adde, quòd hoc etiam Pictura nocentior ipso est,
Quòd nunc emendat, nunc celat crimina vultûs,
Nedum animi; atque novum formæ adjicit ipsa decorem,
Et nunquam vero Charites in corpore visas.
Quàm multæ hinc vellent, aliquis Corregius ipsas,
Aut Raphael, leges doctus, móremque Poesis,
Exprimeret; neque enim speret se fingere talem
Ad speculum Venus ulla, diu ut, multùmque laboret,
Qualis apud Vates, aut Zeuxidas ipsa videtur.
Ergo, si duram paulatim inflectere mentem,
Propositique tenax pectus mollire videndo
Vera potest facies; quamvis et nævus in illa
Plurimus, et vitiis animus majoribus obstet
Officio: quid non fictæ mendacia formæ,
Qualem vota proci, et studium vix exigat artis,
Posse

Posse putes rudis in fibras, primumque calorem
Ætatis; neque adhuc, quanto spargatur amaro,
Edoctæ, pictum potuit quod dulce videri?
Nec jam opus exemplis; quamvis nec plurima desint
Exempla. Ipsa hominum Ratio, et natura magistra,
Siquid corde salit, satis erudit; ipsaque morum,
Et juvenum, documentum est, experientia, majus
Omnibus exemplis. Nam cur, Theodore, Philandro,
Ut reliquos sileam, nunc molles ore venusto
Icones arrident; dum mollior ipse severos
Jam posuit mores; dùm cœtus usque frequentat
Invisos sibi jam, et placituros tempore nullo?
Et tamen idem annis hinc ab tribus, æmulus Hector
Dum tibi, virtutis studio, Phœbique vacaret;
Seu veras fixo, seu pictas, ore tueri
Qualescunque nurus, ut noxia monstra, timebat.
Ast audi, super hac apud ipsum nempe Philandrum
Haud pridem mihi re quod contigit. Illius ædes
Ipse (salutatum nam me convenerat antè
Humanus) causà officii vix integrum adivi
Post biduum. Excepit venientem humanior, et me,
Post habitos unà variis de rebus, ut est mos,
Sermones, sibi nimirum haud multò antè paratum
Idem in Musæum duxit: sic ipse vocabat.
Hoc mihi sed, verum ut fatear, Theodore, vocari
Grande Gynæceum potuisset: in icone multa
Pendebant parte ex omni cristæque, comæque
Fœmineæ, stantesque sinus, mollesque lacerti,
Et facti ad speculum vultus. Venisse putares
Lutetiam huc omnem; vel quidquid comptius illi est,
Et pictum nostras spes lucri mittit in oras:
Nì tamen id nostris natum mentitur in oris

Lutetiam, namque hinc merces jam pluris habetur
Quælibet: Ausoniæ tanta est prudentia gentis.
Illic et, triplici distinctos ordine, plures
Conspicio corio tenui, croceoque libellos
Indutos. Et Narcissis, et vultibus illis,
Quos ibi cernere erat, bene dignos dicere posses;
Sequanici plerique etenim, Etruscique Poetæ,
Rhetores ex aula blandi, Historicique minuti,
Alter erat scriptor nugarum, atque alter amorum.
Hæc contemplabar tacitus simul omnia; cùm me,
Ecquid sentirem, blando rogat ore Philander.
Omnia concinnè, (quis enim neget?) omnia bellè,
Tunc ego. Sed, veteri si das mihi posse magistro
Hìc uti, quando hoc nunc me quoque nomine donas:
Hosce libros, vultusque inter quid, quæso, Philander,
Palladis addiscat prudens, aut Martis alumnus;
Qualem te nobis jactas, gaudesque vocari?
Quàm mallem hìc, fateor, vates spectare viriles,
Et magni vultus animi; qui mentis amicam
Segnitiem excuterent, et fortia facta docerent!
At non picta Helene, aut mendacis gratia formæ
Expressit Cajo lacrymas, sanumque pudorem:
Nempe id Pellæi potuere in Cæsare vultus.
Nec lævem, cùm se formaret Rhetora, frontem
Spectavit demens, quem postea libera dixit
Roma Patrem Patriæ, sellâ dignata curuli.
Nocturno macrum studio, fumoque lucernæ
Pallentem ante oculos habuit Demosthena prudens
Tullius: ex illo venit facundia vultu
Terribilis Catilinæ, atque hoste potentior omni.
Annè aliquid mollesque genæ, similesque libelli
Promittant tibi tale? Sed est quoque major in illis
Perni-

Pernicies; quippe ingenuis et blandiùs obſunt
Moribus, heu! faciles, et miſſum cœlitus ignem
Sæpius extinguunt. Ipſum te conſule, nec te
Forſitan invenies; nec quæ fuit antè pudoris
Cura tibi, nec qui pallens ad criminis umbram
Vultus erat, trepidique pio ſub corde timores.
Ille autem (ſed mutato tamen ore rubebat)
Impiger: ingenui paſſim, reſpondit, Ephœbi
Scilicet id faciunt; quod enim, cedo, crimen in ipſo eſt?
Adde, quòd et dandum eſt aliquid juvenilibus annis,
Et ſtudjis. Plura et decus, et natalis origo,
Et, magnæ vim legis habens, mos ipſe requirit.
Nec mihi, quod patrios, vitæ genus, inter agendum eſt
Nunc equites, tetricum Brunonis ferre cucullum;
Parietibuſve ſinit nigras ſuſpendere mortes.
At non hæc, (tunc rurſus ego) nec talia quiſquam
Exigat a vobis; quis enim, quod triſtis eremi
Cultor agit, juvenes prudens, equiteſque repoſcat
Urbanos? Vitæ ratio ſua cuique, Philander,
Conveniat, Deus ut jubet, et Prudentia; ſed non
Idcirco vitiis Deus, aut Prudentia quemquam
Imbellem probet. An Cypriis Carthuſia flammis,
Urbe procul, lubriciſque à vultibus, horridaque inter
Temporis extremi, et vitæ ſimulacra futuræ,
Sola patet; ſtimuliſque ſuis Puer improbus urget,
Quos aljis dura exercet Metanœa flagellis,
Jamdudum emeritos rigidæ Pietatis alumnos?
Vos contrà, quibus et nondum decoctior ætas,
Et curare cutem labor eſt, genîoque vacare
Præcipuus, ſoluſque dolor minùs apta voluptas:
Nunc veras inter, nunc inter ludere pictas
(Quamvis quandonam liceat non cernere pictas

 Et

Et veras?) juvat Euryali, Nisique sorores?
Nec tamen infelix audet tela ulla Cupido
Mittere; nec, quo jam piceum miser excitet ignem,
Ullus adest fomes. Quodsi tamen excitet, et jam
Extendat latè, voto frustratur inani;
Quippe omnis prorsus vobis innoxius ignis:
Ceu Pueris, quos Assyriæ reverentia flammæ
Lætantes stupuit circùm, atque impune canentes.
Me miserum! cui vel magni scintilla perîcli est,
Nî celer excutiam; quamvis nec vultibus illis
Lumina defigam, et sacras operatus ad aras
Quotidie, precibus reliquum, doctisque diei
Impendam chartis, nisi quantùm intervenit ipsis
Vix aliquid mensæ, ac somni, et sermonis amici.
Ast Parides, mollesque nurus præcordia jactant
(Siqua fides vobis, si nobis vera refertis)
De meliore luto, nimirum insontis Adami
Progenies: nos, heu! soboles infausta nocentis.
Talia fatus eram; nec me jam credere talem
Posse tamen, quales alios plerosque videmus,
Usu exploratum longo mihi nempe Philandrum,
Mitior adjeci. Ne tu, Pater, ille reponit,
Hìc sacri nil esse putes, quod sæpe videri,
Sæpe legi soleat. Parvam simul icona magnæ
Virginis, (hæc oculos mihi quippe effugerat antè)
Quæsitumque diu, atque alios, jam pulvere multo
Undique sordentem, post libros fortè repertum,
Gersonem ostendit: notum scis ipse libellum.
Ergo nihil super hoc addens, cùm pulvis in ipso
Jam satis argueret, subitoque pudore Philandrum
Nequicquam invitum afficeret: Pulcherrima, dixi,
Hæc sanè mihi præ reliquis arridet imago.

Jamque

Jamque tibi hinc, alto dudum ſub corde calentem,
Extinctum nondum divinæ Matris amorem
Agnoſco, gratorque libens; nec pignus ineptæ
Hoc, licèt exiguum, tamen eſt pietatis in illam.
Aſt iterum, ſi das veniam bonus, utar amici
Libertate: tot hìc me terrent undique vultus,
Quos aulæ parat, aut feſto nova nupta theatro.
Fruſtra diva Parens digito monſtretur in illis,
Et minor, et vultu vix conſpicienda puſillo.
Quid faciat nempe illa tuas Heroidas inter,
Nec pictas veſtes, nec fictos compta capillos,
Nec quidquam ore gerens ſpeculi, moriſque recentis?
Proh! quanto has ipſi comites reor eſſe pudori
Diſſimiles! Quàm neglecto ſe mallet in antro
Nunc iterum, quo læta nurus excepit agreſtes,
Paſtoreſque bonos; quanquam vultuſque, comæque
Incultæ, atque animus tantùm ſpectandus in illis!
Quid quòd vix poſſit, nuribus commixta profanis,
Virgo tuo ſub corde locum ſperare ſecundum?
Ipſa equidem caſtos animis inſpirat amores,
Sola pudore ſuo, ſolo pulcherrima Nato,
Quem gremio, vultuque gerit; ſed vincit in illis
Fortior humanos, forma altera, fallere ſenſus:
Idque ultro, ne diſſimules, potes ipſe fateri.
Ut tamen hinc certi deſit tibi cauſa perîcli;
Virginea cur imprudens de Matre recentes
Conſceleras oculos, et vanis vultibus imples?
Ah! ne fòrs alias oculis, aut pectore flammas
Accipias, vult ſola coli, vult ſola videri;
Nî prudens alias adſit tibi cauſa videndi.
Hanc ſancto legem Regina indicit amanti.
Hæc, ut Virgo mihi dabat ipſa, et plura Philandro
 Fortiùs

Fortiùs inculcans, placido mox ore rogavi,
(Namque cadens jam Sol, et erat mihi tempus eundi)
Refpiceret famulo prifcum in præfente Magiftrum,
Inque locum obfequii veterem excufaret amorem.
Ille autem (nempe et caufa inferiore laborans,
Atque idem, cùm res pofcit, tempufve, locufve,
Dexter, et humanus) prifcis hæc addere dixit
Officiis; quibus ufque adeo fe jure teneri,
Ut meritas nunquam par fit mihi reddere grates.
Inde, extrema domûs abeuntem ad limina dum me,
Obftantem fruftra, deducere comiter inftat,
Comptiùs hæc eadem phrafibus repetebat honeftis;
Orabatque fimul, fi non foret ufque moleftum,
Ut fibi me pofthac invifere fæpe liceret,
Atque animi certum, vitæque adhibere magiftrum.
Hæc ille. At nec me quarto pòft menfe revifit
Vel femel; et bis occurrens mihi fortè per urbem
Vertit iter callem in lævum, erubuitque videri.



CARMEN

Suis, exterisque Auditoribus

AB AUCTORE DICTUM;

Cùm, post exactum docendi literas humaniores quinquennium, ad studium Theologiæ jam pararet.

Optimam esse Vitæ magistram, frequentem Mortis meditationem.

SERMO SEPTIMUS.

EXtremum, siquid merui, mihi, Phœbe, laborem,
Et vos cum Phœbo faciles concedite, Musæ.
At non antiquas leges, certumque paciscor
Judicium. Fesso liceat cantare Poetæ,
Quod venit in buccam; dum ne bacchetur ineptè,
Aut vitio faveat. Solis mihi Pegasus alis
Præstò sit, et nullo lentus captiva lupato
Ora gerat; sed libertas sit vatis in illo.
Nil tamen haud sanctum mihi, nil haud moribus aptum
Excidet. Et calvi possunt audire Catones;
Cirrati audirent, mallem licèt ipse, Nepotes.
Annuitis Musæ? Si non, tamen eloquar ultro,
Quod libet, et venient invitis carmina Musis:
Qualiacunque mihi verus furor, iraque dictet
Fortior, et qualem imbellis facit ultio sexûs.
Jam nil, Castaliæ (sit fas dixisse) Puellæ,
Nil opus est vestro posthac mihi numine, nec, si

Ambas iratus mihi buccas inflet Apollo,
Idcirco sacri lateant arcana Lycei.
Sæpe meos (ipsi vobis testentur) alumnos
Edocui, sceleris puros, formidine lethi,
Exegisse dies, vitamque impendere morti.
Atque utinam non vana illis Cassandra fuissem!
Namque, ut Zacharides surdæ clamabat eremo
Nequicquam raucus, solaque auditus ab Echo;
Sic ego, vel pueris metuendam funeris horam,
Insidasque moras fati, falcemque paratam,
Parîetibus nudis inculco, aut auribus illis;
Quas vigili cera fallax armavit Ulysses,
Dum tacita Siculas vitavit puppe Camœnas.
Quis crebræ fructus, longæque Parænefeos? Vix,
Claudite jam libros, dixi, jam debita sacris
Imminet hora: sacris debentur sabbata: nullum
Sit vobis tanti studium. Pars protinus omnes
Obnubit vultus, extensaque pallia jactat
In lævam: (sed rara tamen sunt pallia, nam nunc
Idem ensis brumæ, idem æstatis pallia supplet:
Remque ultro laudo; nam pallia sæpe teruntur
Tantùm uno, at plures idem ensis durat in annos:
Nec ferrugo nocet, nec tempore Scanderbechi
Quòd fuerit: satis est oculis, laterique quieto,
Si quidquam vaginam implet, capuloque relucet.)
At res quæque mihi remora est: rem persequor ipsam.
Sollicitos tunc componit pars altera libros,
Compositosque loco removet, rursusque reponit.
Pars calamos tergens atramentaria claudit,
Et strepit: hæc eadem, strepitu majore, secundo
Includit mox doliolo: (sic nomine dicunt
Ex fago bifidam, nectit quam cochlea, pixîn.)

(a) Vix

(a) Vix tantùm resonant fora primo vespere, quando
Fixa catenatas claudit compago tabernas.
Demisso hic frontem petaso tegit, atque minori
Seria promittit vultu, tristisque minatur.
Implicitis curvus scamnum premit iste lacertis;
Sustinet erecto mentum cubito alter, inerti,
Et lasso similis: placido præludere Morpheo
Haud posset meliùs. Vel apertis sæpe fenestris
Somnus sponte venit, cùm sævus verba Magister
Criminibus factura moram, segnesque medullas
Intratura parat. Sed quadrans effluit, et vix
Expectata diu venere silentia tandem.
Excreat antè tamen certatim, omnemque sonanti
Gymnada quisque replet tussi. Jam tunc ego sacrum
Tristior effatum pulla voce intono, sanctos
Incussisse metus ardens, animæque tumultus.
Illud mox patrio repeto sermone, subinde
Inculcans, partesque secans industrius omnes
Pluribus expono: tum, discere quidquid ab illis
Expediat, clara doceo, facilique Minerva.
Utque magis faciant aliena pericula cautos,
Horrendos Juvenum interitus, inopinaque subdo
Funera: nec me de libro dixisse pudebit
Hæc eadem; neque enim tales mihi fingere casus
Aut libet, aut promptum est, ut, nobis tempore macro
Auditus, bonus ille Orator sæpe solebat.
At, dum sollicitus toto me pectore vexo,
Pallentesque metus quærens, lacrymasque paratas,
Intellecturum duco circùm undique vultum;

Me

(a) *Plura hìc, et infrà per hyperbolem dicta, et tantùm poëticè.*

Me miſerum ! cubito urgentem premit ille ſodalem
Callidus, atque oculo doctorem reſpicit uno.
Juglandes parte ex alia, vel ſicca Bathyllus
Semina corrodit peponis; metuenſque videri
Protegit ora manu, et crebrùm ſine rheumate tuſſit.
Pars blandè ſtertit, pars e regione ſedentem
Nutibus alloquitur certis, digitoſque loquaces
Explicat; et ſimiles reddit pars altera voces.
Grandior haud quiſquam deerit, qui fronte Catonis
Caſtaneas, aliaſque nuces, nugaſque minores
Ruminet; atque utinam nugas tantùm. Unus, et alter;
Quattuor ad ſummum bibulo tunc pectore, vel ſex,
Excipient avidi, quæ poſſint ſcalpere fibras
In melius; ſtertentque minùs cervice ſolutâ.
Ut tamen id faciant, quidnam ſperemus ab illis?
Ut mulier, puer eſt: eadem mutatur in horam,
Et vultu, et capitis nunquam ſpectabilis uno
Suggeſtu; niſi ſi mens ſit, pietaſque virilis.
Sed poſtquam crebri tinnitus æris acuti
Indicunt ludo finem, atque exire jubentur
Inviſis tandem loculis, et carcere ſævo
Diſcipuli: jam nil memores poſt terga relinquunt,
Quidquid Præceptor crepuit, mortemque, minaſque
Judicis, et Stygio Lemures in gurgite nigros.
Hoc opus, hic labor eſt cunctis exire priorem:
Jam clamant, jam feſtinant, ſe ſeque viciſſim
Urgent ſolliciti. Temerè properantibus obſtat,
Qui præit; hunc cubito feriunt illi: Ciceronem
Hic jacit iratus, facit hic ſua tela Maronem;
Nec ſcriptis illis parcit, quibus uſque parandis
Præceptor cœnam, ſomnumque reliquerat. Ille
Pallia ſciſſa dolet, raptum petit iſte galerum;
Amiſ-

Amissum hic quærit caliendrum, et vertice nudo
Jam minor est. Pleno festiva cucurbita risu
Spectantum excipitur; mox casum imitantur ineptum
Hinc, atque hinc alji, raptâque ignobile sylvâ
Sinciput ostendunt, colaphisque sonantibus olli
Dant plausum. Pugnat circùm pro crinibus emptis
Pars fugiens, comitumque manus eludit inanes.
Cætera quid memorem? Sed in hoc plerunque Parentes
Culpandi, aut pueros custodi tradere nulli,
Aut nunquam mores ipsorum ex ore docentis
Discere solliciti; nam prolis maxima cura est,
Quòd minimi constet, quòd nulla molestia fiat.
Hæc miserum plerunque manet fortuna Magistrum
Post bilem, lassamque animam, vocemque minorem.
Seria vix intrant pueros, nisi numine dextro
Insinuet sese Deus, et præcordia tangat.
Hic bonus adspiret: nugis, mora nulla; relictis
Exuit Euryalus mores, vultumque priorem,
Et solo Musas, Phœbumque in carmine jactat.
Cura prior placuisse Deo, parere Magistro
Altera: nil ultra leges, nutusque docentis
Excurrit; nisi si plùs æquo fortè laboret,
Impiger æquales dum vincere certat Achilles.
Primum Gymnas habet; sed postquam Virginis aram
Invisit pius, et Musæ cœlestis amicam
Imploravit opem. Festis celebrata diebus
Primum Templa vident, neglecto sæpe capillo;
Dum stertunt molles cara in lodice sodales,
Nec rumpit pingues vox Palladis ænea somnos.
Solus abit plerunque, aut uni junctus Achati
Moribus, et studjis simili; nec tristè facetos
Narcissos metuit, patiensque, Beatulus, audit.

Sed

Sed niger hic cvcnus, corvoque simillimus albo,
Semiviroque pio, fortunatoque Poetæ.
In rectos flecti quantumvis cerea mores,
Ætas impressum referat juvenilis amorem;
Mollior hæc eadem vitio se præbet amico:
Nec tantum Alcidis tenero sub pectore servat,
Laudatos ut amet dumos, floresque sinistros
Despiciat, Samios ubi pandit (a) Litera ramos.
Ast alii hæc eadem meliori nota carina
Æquora sulcabunt, et me mea fata sequentur.
Jam propè donatus merita rude, libera tristi
Exuo colla jugo; postquam ævo longius omnì
Exegi lustrum jussâ gladiator arenâ.
Jam pulchræ valeant nugæ, sterilesque Camœnæ:
Majoris breviora petam subsellia ludi
Auditor jam barbatus, soloque Magister
Nomine; quod commune tamen mala syncopa fabris
Efficit, et par Vulcano pede claudicat uno.
Tunc tamen et brevior labor est, nunquamque timendum
Manè Jovis mense hyberno, nec lectio quarta.
Tunc nec scitari dubias, nec quærere causas
Nugarum; nec vocis opus, ferulæque minacis,
Nec speculatorum. Mihi tunc duo lumina tantùm
Sufficient; corioque meo duntaxat amarum
Flagrum unum, postquam a cœna commissa diei
Expendi, atque meos, me teste, et judice, mores.
Sed quò proposito rapior de tramite, mortis
Immemor; et, nondum Chironis mense propinquo,
Prudentes rixas, et prælia docta Sophorum
Præcipio, atque animum pictura pascor inani?

Ad

(a) *Idest Y.*

Ad vos, o Juvenes, redeunt mea Carmina. Vitæ
Securum monſtrabit iter, meminiſſe ſepulchri.
Hos vobis monitus, extremaque verba relinquo.
Sed vereor, ne mox rimosâ defluat aure
Vox gravior, raptamque levis ferat Auſter in altum.
O mihi ſi toto pectus nunc bulliat œſtro;
Quo plenos ſtupuit Solyme, quos ſpreverat antè,
Mira loqui, atque alias populis inducere mentes!
Si par lingua ſonet, ſimiliſque in vocibus ignis;
Quàm vellem hæc altis monita infixiſſe medullis!
Vos chorus Aonidum, et Cyrrhæ procul eſte profanæ:
Reddo libens macras lauros, et inanè ſonantem
Barbiton appendo deſerti ex abîete Pindi.
Nunc opus eſt majore Deo, Mundique Poeta.
Tuque adeo felix adſis, Sanctiſſime rerum:
Tu mea victrici venias in carmina flamma,
Muſarum, Phœbique loco. Tibi præbeat aures
Ad mea dicta puer, nec me cognoſcat in illis.
Quid nobis ſperare vetes? Tibi certa poteſtas
Fortiùs obſtantis Cœlo perrumpere murum
Pectoris, et blandùm ſinuoſo irrepere cordi,
Et parvas Veneres, et curvas vellere fibras.
Ergo mihi facilis, mea cura noviſſima, Pubes,
Nunc animos adhibe, ac totam, precor, adjice mentem.
Quidquid agas, quidquid reputes, præſentia mortis
Adſit, et admoto dictet meliora pheretro.
Nos ultra longæ tantùm ſpatia ultima vitæ
Proſpicimus Libitinam, et nunquam adſtare putamus:
Jntret ceu tumulum vix octogeſimus annus,
Atque aliquam exoret veniam vel curva Senectus.
Fallimur hic craſsùm: digitis a funere ſeptem
Abſumus, et fortaſſe minùs; nec ſubdola cuiquam
Monſtra-

Monstravit Lachesis, quantum de stamine restet.
Sed color, et densi crines, validique lacerti
Nestora promittunt, et longæ Vatis arenam.
Quid quòd ver primum est, et adhuc in floribus ætas?
Nonne vides virides, et vivaces Amaranthos?
Exhaustas olim quercus, cariosaque tantùm
Secula sylvarum truncabat sæva bipennis:
Nunc etiam Salices, et nondum caudice firmo
Surgentes Cerasos, et passim gramina cædit.
Nulla mora est ferro lætus florum decor, et spes
Fertilis Autumni: patet omni tempore Messis.
Non Phaetontæas lacrymata electra Sorores,
Non pulchra OEbaliden puerum suspiria servant;
Narcissique, Rosæque manu carpuntur eadem.
An non proposito veteri jam themate: *Nulli
Mors parcit*, vos hæc eadem cantare soletis?
Cur, si non aljis, vobis non creditis ipsi;
Et juvat ignaras imitari carmine Picas,
Aut rubras volucres, quas nobis India mittit?
Ut tamen hæc animo sedeant impressa fideli,
Nunc habitu juvat, atque novo producere vultu.
Mortem, nec pravè, vetulam finxere Poetæ,
Pictores etiam: at non qualem altaria circum
Baucida conspicimus, quæ mente, annisque laborans
(a) Bajulat incurvo centum propè frigora dorso;
Quæquè in spem veniæ patientes inspuit aures,
Dum plura extanti mento balbuit ineptè,
Et steriles gerras gingiva mandit inermi.
Cruda Neci, viridisque, et formidanda senectus;
Et vino similis, cui vires addidit ætas.

Tardior

(a) *Alludit Poeta ad piam quamdam Vetulam satis in Templo frequentem, ubi Missa sacrificio discipuli intererant.*

Tardior illa quidem fuerat, quo tempore ſimplex,
Et melior natura fuit; nondumque ſagaci
Fallebat vitium ſpecie virtutis, et umbrâ:
Nondum tot molles parvis in curribus irent
Heroes; nec tot turrita fronte Cybellæ
De trivio, quas conductus præit aſſecla paſſim
Tempore feſtivo: nec adhuc imbellè canentis
Sirenis, vel ſemimaris, vox lubrica gentes
Attonitas traheret; quamvis priùs exigat aurum,
Quod famulus, quod mercator ſibi jure repoſcat.
Tunc equidem fuerat Mors tardior, et pedibus ſe
Ipſa ſuis tulerat, dextram ſubeunte bacillo.
Nunc eques incedit, curruve invecta volucri
Ipſa etiam exultat: turbam præmittit euntem,
Curſoreſque ſuos; nam quid non militat illi?
Et Bella, et Caſus, laudiſque, aurique Cupido,
Et Venus, et Bacchus, Morbi, Medicique viciſſim:
Ipſe amor, ipſa etiam vitæ Cura. Omnia Morti
Decertant: jam poſſe mori, ut moriamur, abundè eſt.
Quid quòd zelotypa eſt, et acerbo pollice carpit,
Quod placuiſſe videt? Siquis grandem Hectora matri
Spondeat Aſtyanax, animæque Polixena magnæ
Contemptrix uno ſe prodat fœmina vultu:
Siqua domi Charis eſt, ſi parvus ludit Alexis;
Hos citiùs rapit, et crudo Mors funere mergit.
Hinc ſtupor, et lacrymæ, et vitæ documenta futuræ,
Funeris ad famam. Ludiſne, an vera reponis?
Formoſus periit, periit formoſus Alexis?
Quo tandem morbo? Quantum, cedo, temporis æger
Decubuit? Tria vix explêrat luſtra, valebat
Strenuus haud pridem: paucis fuit antè diebus
Obvius, et longo tenuit ſermone morantem.

Illâ nulla unquam fugit mihi dulcior horâ.
Vix totum febri octiduum correptus acutâ,
Jam gelidus putet. Nil vox, nil dêxtra Medentum
Profuit, aut flavos olli secuisse capillos
Artis in auxilium: madidis altaria votis
Nulla carent; sed nulla favent altaria votis.
Mors aderat victrix. Mœsto sonat undique luctu
Tota domus: vixdum hòc audito funere, Mater
Semianimis cecidit, gelidoque simillima nato.
Quin etiam Brennus (scis, quantum Brennus Alexin
Dilexit) cari fatum miseratus amici est
Deliquio; et jam nunc parcit somnoque, ciboque,
Et loquitur solum, et solo nutritur Alexi,
Iratus Morti, quòd se non antè tulisset.
Mira refers, et quæ videantur somnia. Vah! quis
Crederet hæc unquam? Proh quantum in rebus inane est!
Vitæ nulla fides. Sed nos imponimus ipsi,
Et montes stulti nobis promittimus aurêos;
Cùm malè nota dies, et inexorabile fatum
Disiicit aerias inopino turbine moles.
At quonam accepit venientem pectore falcem?
Quis sensus morientis erat; quis vultus, et ora?
Principio nimiùm de fato visus avaro
Penè queri; sed mox totus mutatus ab illo.
Vota dabant, et spes vitæ, lacrymasque Propinqui:
Ipse tamen plenusque Deo, divæque Parentis,
Securusque sui, lacrymas prohibebat amantes,
Optabatque mori, terrasque impendere Cœlo:
Tristior hoc uno, quòd non priùs illud amâsset
Fortior, et laudi forsan studuisset inani.
Quàm tibi maturum invideo, puer optime, Cœlum!
Felix, heu! nimiùm felix, si me quoque tali
Funere

Funere donarent Superi! Sed, ſiqua ſuperſit
Longa dies, certum eſt Mundo dare terga relicto,
Et vitæ requiem, et ſolatia quærere morti.
Hæc hominis prima, hæc res ultima: cætera frondes.
Hæc effatur, et his quamplura ſimillima, tanquam
Cecropiis nuper veniſſet doctus Athenis
Socratis auditor; vel magnæ transfuga Romæ
Ducere Bethlemio vitam ſtatuiſſet in antro,
Extincti Niſus de funere mœſtus amici.
Sed, poſtquam lacrymas poſuit dolor, et malè junctâ
Incluſum pinu celat domus atra cadaver
Ex oculis, animoque; ſolo conduntur eodem
Et Mors, et Mortis ſenſus, doctique timores;
Et redeunt veteres poſt grandia gnomata nugæ.
Interea toto creſcentem corpore mortem
Accipit infoſſus Juvenis, ſævamque mephitim
Evomit, averſo vultu, ſtrictiſque videndus
Naribus. Aſt eadem Mors noſtri ſedula fati
Ferrum acuit, ſimilemque parat jam proxima cædem;
Atque aliquem cœtu forſan ſignavit in iſto.
Ah! nimiùm fidens annis, et mobilis ætas,
Quid tantùm formæ inſudas, nimiùmque beatæ
Pelliculæ indulges? Ornatur victima Morti.
Expectant avidi de te convivia vermes.
Semina vicinæ putredinis abdita nutris
Vel pulchro in vultu, et citò fies alter Alexis.
Heſternas ſed fòrs epulas, crambemque recoctam
Appono, et nimio patinæ vitiantur aceto.
Ultima quin dulces meliùs dat Menſa placentas?
Et pueros, quamvis grandes, bellaria vincunt.
Jam mihi neſcio quis naſo Criſpinus adunco
Exprobrat hæc: Quid funeſto malus omine Corvus

Tristè canis, solasque neces, et funera portas?
An non hæc triduo nimiùm discussi mus illo,
Quæsitis clausi tenebris, et nocte diurna;
Quod capite obstipo, et vultu trutinare silenti
Venturi docuit pœnas, et præmia Mundi?
An non hæc anno toties audivimus uno,
Ut vel Lucillo jam sint morosa beato?
Seu Turnum ferus Æneas sub Tartara mittat,
Seu Clodi cædem describat Tullius, aut Mors
Occurrat quocunque libro vel nomine solo:
Fit mora lectori, Mors hìc sua tempora poscit.
Litera Parmensis seu funus narret alumni,
Hanc legit extemplo, præfatus multa Magister:
Fòrs etiam, feralis epistola terreat ut nos,
Multa subinde legit, quæ nemo scripsit in illa.
Hæc deîn, Filioli, vobis præludit imago:
Fato maturi, nullam sperate senectam.
Fòrs vestrum similis referet mihi pagina bustum.
Sic omnem arripiens ansam per fasque, nefasque,
Ingerit hos monitus, et terret morte propinquâ
Mense vel Augusto, et propè jam Septembribus horis.
Quis pius, et patiens adeo, cui vitrea bilis
Haud tumeat, quamvis alia sit natus in Urbe?
Hæc scimus dudum, et nimiùm meminisse necesse est.
Audistis quàm multa? Papæ! dabit hic Ciceronem
Crispinus, si bruma sinat. Quo pondere rerum,
Quo sale, quàm vivo dicentem tangit aceto!
Hæc scimus dudum, et nimiùm meminisse necesse est?
Hæc scitis; nec vos lacrymæ, nec pectora sanus
Mœror habet, nec jam instantis lux nigra pheretri,
Nec cinerum putris mores emendat imago?
Hæc scitis; et vos Soles impune serenos

Exigitis

Exigitis tamen, et Siculo pendentia filo
Funera ridetis; nec vel semel ægra voluptas
Permittit tremulo vultus attollere fato?
Hæc scitis: et vix tunc, cùm scheda poscitur, aut cùm
Nomina, sorte duce, exigua ducuntur ab urna
Saturni luce, ad tacitas acceditis aures?
Quid quòd, festa dies cùm feria poscit ad aras
Otia, Campus habet longas sat cognitus horas:
(Atque utinam tantùm campo ludatur in illo,
Non etiam pejore loco) Quòd Inertia sæpe
Ingeniosa febrim fingit, semperque paratum
Fida patrocinium nugis mendacia præstant?
Quòd nî spectandus spectet, Minossaque vultu
Induat, atque oculos gerat in statione Magister
Sollicitos; ridere juvat, vultuque jocari,
Et manibus, vel dum trepidos Mysteria vultus,
Atque animos poscunt, et, Cœlo teste, litatur
Ipse Deus, læso rursus data victima Patri;
Et pavet attonitis hæc ad spectacula pennis
Aligerûm chorus omnis, et obtutu hæret in illo?
Non ego vos facere hæc, Juvenes, tamen assero; sed, qui
Hæc faciat, necis oblitum, fatique minantis
Immemorem propè jurem, adscribendumque Poetis,
Aut pueris, dignumque manus supponere tauro,
Aut caput Antycirææ, et mortis meminisse dolendo.
Sed jam contractis repetamus littora velis.
Ultrà, quàm satis est, excurrimus; et video vos
Penè subiratos, ac tristi fronte modestos
Splendentem falso bilem defendere risu.
Nil mihi vobiscum est, Juvenes. Bona verba : Magister
Vos monet extremùm; fortunatumque precatur
Autumnum, atque omni (quæ vobis prima voluptas)

Immunem libro, sævique timore docentis.
Hoc tantùm haud pigeat ruri fecisse subinde;
Vel cùm manè novo, vel cùm jam Sole cadente
Captandas huc, atque illuc vos fertis ad auras;
Perque viam matura manus invitat euntes
Arbor, et alternos carpit gula languida botros:
Non alias (tunc quisque sibi) decerpere ficus,
Non alios forsan dabitur libare racemos.
Augusto fòrs me carpet Mors atra futuro,
Inque meo putres pinguescent corpore blattæ.
Sed nimis id longum est: September proximus aut me
Forsitan, aut aliquem vestrum lugubrè jacentem
Spectabit pheretro. Quisnam, cedo, se neget illum?



ODARUM,

ET

EPIGRAMMATUM

LIBER UNUS.

ODARUM, ET EPIGRAMMATUM LIBER UNUS.



IN POETAS MALEDICOS, ET IMPUDICOS, APOLLINIS EDICTUM.

Apollo ipse coram Musis loquitur.



ODE.

Rgo, quod venit in buccam, sub judice Phœbo
Mævj canant, et Zoili;
Idque impune ferant? Nec tantum avertere Pindo
Pugnent Camœnæ dedecus.
Nec pudeat pingues Lernæo carmine chartas;
Quas horreant thus, et piper,
Quas scombri tunicas, quas nolint pabula blattæ,
Violis coronari, ac rosis?

Nunc agite, o Musæ, fontesque ediscite Vates,
Certamque pœnam fontibus.
Quod canat hic pravè mordax, e fæcibus urbis
Colligere pergit anxius.
At non pannoso signari gaudet aceto
Plebeja tantùm Pallia.
Inficit et nigra pice Prætextasque, Togasque,
Idem Catoni, ac Trossulo.
Quid veniæ sancti possint sperare Cuculli,
Vittæque Parthenidum sacræ?
Nil illi vetitum est. Intrat penetralia versu,
Regum ferox, ac Præsulum
Æacus; expectat senior dum filia dotem,
Aut ægra conjux esurit.
Quin et, dum gnatos queritur Præceptor inertes
Abesse ludo sæpius,
Cudit amans pater in bardos Epigramma Magistros:
Ipsosque morum Tullios
Eloquii vocat ad trutinam; atque expendit in ipsis,
Quid rostra peccent publica,
Quis vultus, quæ vox potior, quid vellicet aures,
Quoties decenter expuant.
An laurum hic meritò poscat, collemque disertum?
Non ille dignior tamen,
Cui mores, œstrumque facit Cytherea phrenesis,
Communior Vatum lues.
Audiat hunc sanus; nec naso rideat unco,
Nec bile tumeat mascula.
Zelotypis Phrynes oculos nunc exprobrat astris,
Solique præfert invido.
Lilia nupta rosis, et mixto pulchrius ostro
Vix exprimit genas ebur.

Vix

Vix aureî vinctam funes, vix aureus amnis
Comam referret liberam.
Nunc tenero vivos commendat in ore pyropos,
Nunc lubricas colli nives:
Nunc, quæ cæcus amor sibi plurima fingit in una,
Ac suspicit muliercula.
Hinc votis, ac mente minor suspirat ineptè; et,
Plorantis instar Mænados,
Laudatæ vultum supplex, nomenque Puellæ,
Ceu numen, invocat, suum.
Fòrs etiam priscos, ut nomine peccet honesto
Securus, infamat Deos;
Nigraque furtivæ referens mendacia tædæ
Auctore Cœlo consecrat.
Huccine nugarum venit divina Poesis,
Scelerumque; nos et stertimus?
Nec vestro, Divæ, tandem, Cœlique pudori
Vindicta succurrit memor?
Ah! lenæ pereant Citharæ, Venerisque maritus
Incesta perdat carmina:
Nullaque sit flammis placituri gratia nasi,
Satyræquæ pietas impiæ.
At, vetitos posthac quisquis canat ebrius ignes,
Narive Cynicæ indulgeat:
(Hoc mihi jam certum stat, et immutabile) textâ
Præcinctus aures brassicâ,
Piceno insideat (sit Pegasus iste) caballo,
Spectanda Pindo fabula;
Mox ulmos dorso frangat, largâque (a) cerebrum
Purgetur Antycirâ diu.

POE-

(a) *Idest* secundum cerebrum, *juxta illud Horatii*: qui purgor bilem &c.

POESIS,

Pietatis operâ utilior, et jucundior.

Ad R. P. JACOBUM VANIERIUM Soc. JESU,

Poetam celeberrimum.

ODE.

QUod ipſe narro nunc tibi verſu rudi,
Tu cultiori carmine
Aliis renarres; ſiquis hìc erit, tuus
Nec laudis, aut frugis bonæ
Labor ibit expers: Gallico uſque adeo canis,
Pindoque gratus Italo.
Quanquam quis unquam, quod canit vates minor,
Ceciniſſe ſit labor tibi,
Cui ſponte de re qualibet verſus eunt
Torrentis inſtar nectaris?
Excluſa Cœlo, inviſa Cœlitibus, ſibi
Irata, Mundo ignobilis,
Errabat olim mentis in vultu ferens
Curas, Poeſis, anxiæ.
Fruſtra Puer pharetratus, et Jocus levis,
Et Lepos, et obſcœni Sales
Solantur ægram; tacita quin ipſis ſui
Cauſas doloris imputat.
Jam nulla doctæ templa Sireni patent,
Omniſque clauſa eſt Curia.
Scholis Platones amovent illam ſuis,
Suis Lycurgi mœnibus.

Qui-

Quicunque mores curat, ac menti ſtudet,
Si fortè videat obviam:
Qualis Sicanum cautus effugit melos
Surdis Ulyſſes puppibus;
Prætendit oculis dexteram, ceram auribus,
Metuitque, ne placeat ſibi.
Vix ſola eunti luſtra dant Muſæ locum,
Scenæque plauſum ſordidæ.
Unum, alterumve Theſea, aut Paridem trahit,
Vilemque Ganymedum gregem;
Similes et ipſis, ore formoſo inclytas,
Ac fronte trita, Lesbias.
Sed his amari grande ducit dedecus;
His et placere jam pudet.
Ergo procis irata, nec minùs ſibi,
Turpes amores devovet;
Cœlumque longa vincit, ac Superos prece,
Meliora fata poſtulans.
Certam Poeſi quæ ferat præſens opem,
Pietas ab aſtris deſilit.
Olli minorum turba Virtutum comes,
Parata certatim obſequi,
Decoris adeſt, eademque præſidii loco,
Nullâque ſterni vi potens.
Favens precanti, Diva princeps ilicet
Longè jubet faceſſere,
Quidquid Jocorum, quidquid et Cupidinum
Adſtabat, atque Amantium
Vulgus profanum. Tum Poeſin arguit,
Ut blanda ſoletur tamen.
Formoſa fuco, dixit, et vitio placens,
Quid fontis ærumnas doles?

Si

Si pergis ultrà talis, heu! quantò imminet
Fatum merenti triſtius!
Age jam, pudica fronte Jeſſæum refer,
Sanctoque vatem barbito.
Quid ore fractum tinnit imbelli melos,
Vultumque Cypris inquinat?
Et Terra flores, ſydera et Cœlum exhibet,
Et facta Semidei ſua:
Deus ipſe formæ veniet in pretium tuæ,
Poeta rerum maximus.
Cernin? Volenti nulla non Virtus erit
Et decus, et auxilium tibi.
Speculum Pudor præſtabit, et Modeſtia
Impendet ornatrix manus.
Turba reliqua, ornamenta certatim afferet,
Et mille formæ nomina.
Quantò placebis tunc tibi, ac Mundo magis,
Aris, et aſtris dignior!
Aberunt Amores improbi, atque animæ leves,
Devota Cypro pectora.
Alios amores excitabis, et canes;
Alios trahes felix procos.
Merces Poeſis fiet Heroum; Sophus,
Poeta, ſolus audiet.
Hæc fatur: omnis interim Virtus comes,
Virtutis in vultus nurum,
Moreſque fingit; ipſa quin vultus libens,
Mores et induit novos.
Poeſis inde prodit (id, Pietas, tuum eſt)
Utilior, et jucundior.

IN

IN FUNERE

Eminentissimi, ac Reverendissimi

*GREGORII S. R. E. CARDINALIS

BARBADICI,

EPISCOPI PATAVINI.

ODE.

Illustrissimo Viro, Comiti

JOANNI BAPTISTÆ TRENTO.

EUganeo, nec vana fides, de Præsule nuper
Certamen in Cœlo fuit.
Pugnârunt utroque pares a cardine Stellæ,
Herois in spem singulæ.
Quælibet hospitium jactat se dignius illo,
Titulosque prætendit suos.
Hìc *Libra* incoctum constanti pectus honesto,
Vitioque inaccessum exprimit.
Illic *Ara* sacros testatur Præsulis ignes:
Mystes ut idem, et victima
Arserit: ut populum vindex servârit amantem,
Animæque magnæ prodigus.
Ipsa refert fuci expertes *Via lactea* mores,
Cordisque parthenias nives:

Lucifer

* *Nunc temporis etiam VENERABILIS.*

Lucifer exemplum vitæ, jejunia *Pifces*,
Piaſque lacrymas *Plejades*.
Et *Geminis* ſuus ardor ineſt; gerit ille Galerum,
Oſtendit alter Infulas.
Quin et tergeminam præferrent ambo Thiaram,
Si peteret aſtra ſeriùs,
Sed tamen oblatæ, ſi famæ credimus, olli eſt
Majus, nec acceptæ, decus.
At *Virgo*, cui ſpica manu numeroſa faventem
Promittit annum frugibus:
Talis erat, dixit: ſaturos quoque præſtitit annos,
Quos ipſa ſteriles dixeram,
Providus uſque Parens inopi. Pretioſa ſupellex
Ut Præſulis abeſſet domo,
Horrea plena patent miſeris, Cereriſque paratæ
Pretium eſt egentium fames.
Uſque adeo ſpes docta novo ſuper hoſpite cunctis
Syderibus ingenium facit.
Præ reliquis tamen hanc laudem ſibi vindicat aſtris
Adriacus in Cœlo *Leo*;
Quippe [a] vetus, nedum Patriæ, ſimul ipſe paternæ eſt,
Gentiſque maternæ decus.
Jamque Cleonæas, causâque, et robore princeps,
Erexerat collo minas,
Tunc ardens gladium ingentem nudavit *Orion*,
Tunc extulit clavam *Hercules*.
Ergo alias pugnas, majoraque bella parabant,
Utrinque cedere neſcii;

Cùm

(a) *LEO, quod Inſigne eſt VENETÆ REIPUBLICÆ, locum habet in Stemmate inſignium Familiarum BARBADICÆ, & LEONI; ex qua poſteriori Mater Eminentiſſimi Præſulis.*

Cùm Pater omnipotens nutu vocat Aſtra ſevero,
Et pulcra diſſidia increpat:
Quæ vos inſueti ſpecioſa ſuperbia voti
In mutuas pugnas agit?
Parcite. Non unum ſatis eſt Heroibus Aſtrum:
Majora Virtus exigit.
Singula quid faciant, ſi vix ſatis omnia dignum
Dant Aſtra GREGORIO locum?
Hæc dudum me cura manet: cur tenditis ultra?
Sat cuique laus imaginis
Sit veſtrum: quovis niteant in Sydere dotes
Herois, et Cœlum impleant.
Ipſe autem, poſt ſe Stellas, Cœlumque relinquens,
Huc propior accedat Deo.
Sollicitæ magni de funere Præſulis Urbi
Id nuncies, precor, meo
Nomine, clare COMES. Sed tu, cui grandis Avorum,
Cui mentis, atque animi haud minor
Nobilitas, Phœbuſque favens, et dulcius œſtrum:
Decora alta GREGORII tuâ
Perge lyrâ ceciniſſe, ac ſurdum carmine fauſto
Lenire luctum Patriæ.
Dic, ſibi adhuc vigilem ſperet, Cœloque potentem;
Quin ipſe, quamprimùm fore,
Ut caræ ingentem, nec deceſſore minorem,
Exoret Urbi Præſulem.
An non talem habeat; ſi, [a] quem prædixerat, olli
Nunc impetret GEORGIUM?

Cum

(a) Communi fama vulgatum eſt Venerabilem CARDINALEM BARBADICUM prædixiſſe, ſucceſſorem ſibi in Epiſcopatu futurum GEORGIUM CORNELIUM, CARDINALEM nunc ampliſſimum, illiuſque de facto Succeſſorem in Epiſcopatu digniſſimum.

Cùm primùm prodiret in lucem
LAURETUM LYRICUM,
Posthumum opus
P. JACOBI FRANCISCI VIÆ PLACENTINI S. J.,
Sub auspiciis
SERENISSIMI
FRANCISCI PRIMI,
PARMÆ, AC PLACENTIÆ DUCIS:

Poeta idem erectas moles adversus Padum, unde magnum Placentiæ periculum imminebat, Serenissimo eidem Principi e Superis gratulatur.

ODE.

Et nos, emeritis Vatum chorus additus astris,
Terras subinde pristinas
Respicimus; neque amor Patriæ, aut fortuna secundæ
Curam prioris abstulit.
Quin et cognatæ quondam pia gaudia gentis,
Mentemque Regum providam,
Et quidquid majus terris, ac Numine dignum
Huc vera Virtus evehit,
Excipimus plausu, et plectro laudamus amico,
Adhuc Poetæ Syderum.

Hic

Hìc, largo pleni majoris Apollinis haustu,
Spiramus æternum melos
Dulciùs, et pulchro fœcundi pectora vero
Nil indigemus fabulis.
Tu quoque, Cœlicolûm citharâque, et voce canendus,
Huc voce vectus publica
Virtutum, morumque venis FRANCISCE, tuorum;
Et gaudium Cœlo facis.
Sed tua præcipuo decora, et merita inclyta cantu
Referre, muneris mei est.
Hoc amor, hoc Patriæ, quæ te nunc Principe gaudet,
Mihi cura dulcis imperat.
Haud potui terris, tuus audiar æthere Vates;
Urbisque adhuc civis tuæ.
Illa suum nuper pallens exhorruit amnem,
Pretium antè, nunc periculum.
Aggeris impatiens, et ripæ nescius ibat;
Urbique propiùs in dies
Vicinæ minitans, quod fecerat antè Cremonæ,
Et major exlegi alveo
Terrebat cives, solitus terrere colonos,
Instans agris, et mœnibus.
Ah! sævum optavi quoties avertere fatum,
Caræ imminens Placentiæ;
Atque adeo votis, et, quas finit inscia fletûs
Sedes, disertus lacrymis
Oravi Patriæ causam, dulcique Tonantem
Certans querela vincere:
Eridani fluctus, petii, frænaret iniquos,
Et legis indocilem impetum;
Quiquè Mari quondam, Fluvio nunc arbiter idem
Imponeret ripæ modum.

Nî faciat, lentum exitium, certamque parari
Tandem ruinam Patriæ,
Pro dolor! Et quas infelix tunc adderet amni
Inauſpicato lacrymas!
Ut medjis ignota ſuos in fluctibus agros,
Seque minor ipſa quæreret!
Hæc ego ſollicitus: ſed amico parce timori,
Repoſuit adridens Pater.
FARNESIO PRINCEPS, quo non mihi carior alter,
Jam debitus REGNO imminet,
Degeneris trepidam Fluvii qui ſoſpitet urbem,
Suoque reddat nomini.
Hanc illi mentem injiciam, curamque potentem, et
Manum laboranti dabo.
Ergo, nulli antè auſpiciis felicibus orſum,
Abſolvet immortale opus
Ipſe brevi, et magnis frænabit Molibus amnem,
Certoque ſiſtet littore.
Hinc Urbi Padus, et campis innoxius ibit,
Et qualis in Cœlo fluit.
Hæc me ſæpe Deus Patriæ ſperare jubebat.
At gaudium jam ſpem expulit,
Ex quo tu factis oracula grandibus imples,
Urbique, Fluvioque imperas,
Expulſo, FRANCISCE, metu; ſolumque relinquis
Culpæ timorem Subdito.
Jam veteri minor Eridanus ſe colligit alvêo,
DEOque paret, et TIBI.

AD

AD AUGUSTISSIMUM

JESU NOMEN,

De quo dictum est ab Isaia c. 9.

Vocabitur Nomen ejus Consiliarius, Princeps Pacis;

Cùm diuturno inter se bello Christiani Principes laborarent.

O D E.

JAM penè rauco languida classico
Ferale bellum Tisiphone canit;
Belloque flammas jam decenni
Tartareæ adjiciunt Sorores.
Quæ regna, vel quæ mœnia flebilis
Ignara cladis? Quos malè liberæ
Campos phalanges; quæ nocentes
Littora non tetigere classes?
Ullusne mixto sanguine decolor
Haud fluxit amnis? Te Mosa, te (a) Nicer,
Scaldinque, Rhenumque, atque Iberum,
Danubiumque, Athesimque nostrum,


 Padum-

(a) *Sic dictus apud veteres fluvius; qui hodie* Neccarus.

Padumque teſtor; quem Pelagus ſtupens
Multa rubentem cæde: quis hic, ait,
Germanus audet, Gallicuſve
Adriacum petere amnis æquor?
Hìc terra fœdo corpore pinguior,
Ferax in herbas ſqualet inutiles:
Hìc tibiis, nudiſque equorum,
Atque hominum lapidoſa coſtis.
Deſerta muris oppida dirutis
Spectantur illic; tectaque pervia
Ubique ventis, jamque ſoli
Noctis avi domus, ac lacertæ.
Ut pauperum gens crevit, et exulum
Latè vagantum! Quot profugæ virum
Nurus, quot ablatum pudorem
Indomito referunt Gradivo;
Parvoſque gnatos, patribus exteris
Nunquam videndos, uberibus gerunt,
Colloque pendentes, et uni
Matris opi miſeræ relictos!
Ecquando tantis exitus, aut modus
Tandem ruinis adſit, et ebrium
Tot cladibus Mundi nocentis
Laſſa Themis gladium recondat?
Hæc auſpicato gloria Nomini
Servatur uni debita, cui ſtatim
Adſtat vocanti Pax, tremenſque
Mars poſitis famulatur armis.
Tu bella, magni conſilii ſciens,
Bellique cauſas funditus erue:
Tu, pacis haud fallax ſequeſter,
Necte manus, animoſque Regum,

Heu!

Heu! vana post tot fœdera sæviùs
Deprœliantum. Te lacrymæ rogant,
Te vota, squalentesque supplex
Relligio populorum ad aras.
Felix relictas, auspice Te, Fides
Revisat, et Fas, et bona Faustitas
Terras; per et cognata festo
Fertilitas eat arua curru.
Damnata præter littora Japonum
Cedant inermes, et Furiæ, et Minæ,
Iræque, Fraudesque, auctorque Mavors
Innumerabilium malorum.
Tunc tota clausum carmine publico
Europa Janum, ac thure pio canet;
Et Pacis auctorem innocenti
Pace colet, precibusque pacis.



AU-

AUGUSTISSIMUM
JESU NOMEN,
ETHNICIS GENTIBUS TERRORIS,
CHRISTIANIS PRINCIPIBUS
AUGURIUM VICTORIÆ,

Ex illo Malachiæ cap. 1.

Nomen meum horribile eſt in gentibus;

Et ex illo Iſaiæ cap. 8.

Voca Nomen ejus: Accelera ſpolia detrahere &c.


O D E.

QUalis, Palæſtinæ et decor, et pudor,
Contaminatis nobilis Urbs roſis,
Clangore Jeſsæo tubarum,
Et ſtrepitu lituorum acuto
Excuſſa muros undique territos;
Verſiſque propugnacula turribus
Disjecta circumquaque, latam
Per medias ſubitò ruinas
Fecere magno Nuniadæ viam,
Cæde expiaturo immiſerabili
Terram execrandam, unoque gentis
Excidio ſcelus omne iniquæ:

Tales

Tales tui vis horrida Nominis,
Invicte JESU, (strata satellitum
Quam turba retrorsum, diuque
Vocis inops, animique sensit;
Sudore quamvis sanguineo madens,
Ultroque flagris aptus, et obviis
Tunc ipse vinclis, irruentes
Exciperes moriturus hostes)
Nunc ominoso frigore pallidos,
Ægro et trementes poplite, concutit
Scythasque, regnatosque latè
Odrysio populos Tyranno.
Edona conjux, cùm furit acrior,
JESU maritum devovet ebrium;
JESUMque Comagena mater
Flebilibus pueris minatur.
Inscripta tanto Nomine Bistoni
Vexilla priscas omine lugubri
Clades renarrant, et recentis
Vulnus adhuc refricant Gradivi.
Testem mearum Pannoniam voco
Sententiarum; teque, Pelops dedit
Cui nomen, et laudata Grajis
Vatibus, et Regio Latinis.
Cæsas quot illic, quot malè perditas
Thracum phalangas, capta quot oppida,
Excepimus læti frequenter,
Hinc Aquilæ simul, hinc Leoni
Plaudente Mundo! Cur modò Turcicos
Pax regnat intra florida limites;
Interque te, JESU, vocantes
Bella flagrant lacrymanda gentes?

Cur non in hoſtes Relligio ſuos
Tot ſigna ducit; nec ſacra Martias
Commendat iras, nec triumphos
Cauſa meret Latio canendos,
Nullique triſtes? Vertite Thracii
Pulchrum furorem, magnanimi Duces,
Junctaſque turmas in Neronis
Excidium, Hæreſeoſque diræ.
Illuc, Gradivi cura quibus ſedet
Navalis, et vos tendite carbaſa;
Totoque regnent fœderatæ
Jonio, Cyprioque puppes.
Invicta ſacri gratia Nominis
Præſtabit Euris, ac pelago fidem;
Victâque frondentes Idume
In patriam revehet carinas.



DD. PE-

DD. PETRUS MARTYR,

ET

THOMAS AQUINAS,

Christianæ Religionis Propugnatores clarissimi.

ODE.

Reverendissimo Patri

JORDANO VIGNALI

Ordinis Prædicatorum, Inquisitori Bononiæ.

SEmina Christiadûm jacit inconsulta Tyrannis,
Dum Martyras ferro metit.
Ac veluti, jussos terra Bœotide dentes
Dum Tyrius hospes obruit,
Continuò seges erupit clypeata virorum,
Terribilis agricolæ suo:
Haud secus emerito Pugilum de sanguine crescunt
Jurata Christo pectora.
Stant plures uno avulso, et numerosior ultro
Exsurgit Heroum seges.
Non tamen, ut quondam ferro Cadmeia proles
Alterna miscens funera,
Discordes certant; nisi fòrs in mutua sancti
Ruant amoris prælia.

Quin

Quin Erebo potiùs, quaquè utitur ipſe miniſtrâ,
Tyrannidi bellum movent.
Quis dubitet? Largo redivivum fœnore PETRUM
Irata ſentit Hæreſis.
Quot parit Heroes exemplum mortis honeſtæ,
Et pectoris vis maſcula,
Haud timidos animam pro Relligione paciſci
Caſti cruoris prodigam!
Adde, quòd intrepido comes it Sapientia Bello,
Magnoque mens animo haud minor.
Nempe, auges ut, PETRE, animos in prælia; mentem
Dextramque THOMAS inſtruit.
Ipſe novas pugnandi, ignotaſque hoſtibus artes,
Vireſque, et ingenium parat.
Hinc Fidei Pugiles clypeoſque, et ſpicula Veri,
Hinc omne telorum genus
Accipiunt; ultroque vocant in bella ſagaci
Addicta Falſo pectora.
Prælia defixis fauſtùm pugnata trophæis
Relligio teſtatur memor.
Exanimes videas, ingentia monſtra, Gigantas,
Truces Arios, ac vafros
Pelagios; teque, o Lutere, immanior, et te,
Calvine, terrarum lues:
Atque alios Romæ innumeros, Cœloque rebelles,
Scelerumque, et Errorum duces.
Victa catenato ſuſpirant Schiſmata collo,
Triſteſque pendent Hæreſes.
Cæca Superſtitio minor eſt, Cultuſque profanus,
Truncis jacentes artubus.
Plena triumphatis ſed quis Capitolia ſignis
Referre vates audeat?

Expri-

Exprimit Heroum toti par nobile Mundo, et
Virtus Nepotum prædicat:
Tuque adeo in primis, similem quem spectat utrique,
Fideique Custodem suæ
Felsina nunc fruitur, VIGNALI. Improvida sed quò,
Thalia, tendis? Desine
Invitum laudare; tua hæc nisi carmina luci
Vetet ille, mavis, publicæ.

D. THOMAS AQUINAS,

VEL E CONVIVIO DEBELLATOR HÆRESEOS.

Alluditur ad illud, quod, cùm mensæ assideret

D. LUDOVICI GALLIARUM REGIS,

EXTEMPLO PROTULIT:

Conclusum est contra Manichæos.

O D E.

ET Mars festa petit convivia, crebraque multo
Bellona nubit Libero.
Classica prima canunt cyathi, mox tela volantes
Parata lances suggerunt.
Ah! quoties rixas, bellique exordia cœnat
Solemnis ingenium gulæ!
Dant animos epulæ, madido præsentior ira est:
Majora surgunt omnia,

Dum

Dum caput, et tectum vertigine nutat eadem,
Et mens, et ædes ambulant.
Nam cui non Lapithûm, Centaurorumque recurrat
In mutuas cædes furor
Post calices? Cui non media inter fercula Fratrum
Audita sæpe funera?
Carmina sed cur in cœnas irata profanas
Jamdum, Camœnæ, perdimus?
En sacras meliora fovent convivia pugnas;
Cœloque prandens dimicat,
Quem sibi præcipuum Sapientia legit Achillem,
Fides et Alcidem suum.
Aspicis, ut tacito meditetur prælia vultu,
Fatumque cudat Hæresi.
Hæc THOMÆ pretiosa fames; has esurit escas
Pius ille librorum helluo.
Appositas hinc surda epulas vix spectat orexi:
Hinc alia quærens fercula
Mens alibi, mensæ jejunam commodat umbram,
Et innocentem Tantalum;
Exercetque ducem longè, quando agmine Manes
Stipatus errorum nigro
Occurrit, pugnatque iterum contraria Mundo
Adstruere demens Numina.
Nil metuit tamen, et certum parat impiger hosti
Exitium AQUINAS Hercules.
Ægide nunc facili tutus propulsat inanes
Ictus in auctorem suum.
Nunc trepido cautus latebras intercipit omnes,
Vilesque præcludit dolos.
Nunc tota ratione premit, clavâque magistrâ
Pestem renascentem ferit.

Hæc

Hæc ſecum tacitus: ſubito mox percitus œſtro
Lethale vibrat ſpiculum;
Et domiti tandem, dextrâque, ac voce triumphans,
Victoriam monſtri canit:
Jam cecidit Manes: victo ninil uſque minarum,
Animæque reſtat impiæ.
Cætera jam THOMÆ, majus poſcentia plectrum,
Trophæa, Melpomene, ſile.
Quantùm acie valeat, campo quid præſtet aperto;
Hæc monſtra ſi prandens domat?

IN ATHEUM.

ODE.

ULlumne credam tam caput impium
Extare terris, cui Superûm Pater,
Gentiſque noſtræ; qui ſagaces
Arbitrio regit unus æquo
Cœlique, terræque, et pelagi vices,
Regumque fortunam, atque humilem domum
Vulgi jacentis, fabuloſus
Juppiter, aut videatur error?
Non illud Afro protulit in ſpecu
Marita Pardo Tigris adultero;
Monſtrove concretum biformi
Caucaſeæ genuere rupes.
Non illud atro triſtè gemens ſinu
Effudit Alecto; aut Soror altera
Involvit exceptum colubris,
Terque nigro Phlegetonte lavit.

Aucto-

Auctorem et ipsæ Marmaricæ suum
Novere sylvæ ; nullaque non Deum
Cocyti ad undam vox nocentum,
Et memorem canit, et potentem
Torquere sontes. Quæ tulit, aut quibus
Parens in oris, vultum hominis gerens
Immane monstrum, belluisque
Horrificum, ac Furiis pudendum?
Ah! nosco. Adulto jam Sceleri comes,
Aut surda Erynnis pectoris excidit;
Aut cæca Libertas procacis
Ingenii, et veterum Sophorum
Contemptus audax. Scilicet omnium,
Quæ certa mundo Numinis est fides,
Vox Seculorum, Nationumque
Hinc potuit meruisse risum.
Hinc, quidquid invictum et Ratio, et potens
Natura, certans utraque Numini,
Extruxit adversus rebelles
Terrigenas, labor inquietus,
Votumque vanum est sternere. Jam lapis
Movetur omnis, quò ruat arbiter
Invisus; atque insanientum
Triste redit facinus Gigantum:
Cùm dux Typhœus, et validus Mimas,
Et torvus alto Porphyrius statu,
Cæusque, Rhætusque, et superbis
Cætera par animis juventus,
Mirantem anhela sustulerant Athon
Cervice, et Ossan, et Rhodopes jugum, et
Tellure divulsum profunda
Pelion imposuere Olympo.

At

At cum ſuis quid Terra Gigantibus
Pugnet Tonanti? Jam temerarium
Disjecit extemplo tumultum,
Fulmineos jaculatus ignes:
Mimaſque, Fratreſque illacrymabilem ex-
Perti ruinam mole cadunt ſua;
Imoque concluſi barathro
Impoſitum gemuere Mundum.

LEO VENETUS INTER ASTRA;

Ejuſque præcipua docora.

O D E.

LOngo impotentum jam grege criminum
Infame Cœlum Græcia vindicet;
Et, nomen Aſtrorum, et beatum
Nacta locum, meliùs reponat
Cognata nocti monſtra Acherontiæ.
Ultro vocantum lucida Syderum
Ad vota, ſuccedunt Olympo
Chriſtiadûm decora alta Regum.
Quantum tuæ nunc ætheris occupant,
Invicte, laudes, Cæſar! Ut emicant,
Utrumque ſpectandi per axem,
Magne, tui, Lodoix, triumphi!
At dicta magnis maxima Vatibus
Sunt iſta; plectro nam quid ego minor,
Cantuque, conſecrata toto
Borbonidûm, Auſtriadûmve Cœlo,

Domi-

Domique, bellique inclyta nomina, et
Tranſmiſſa feris facta nepotibus,
Fruſtra renarrem? Me canentem,
Attoniti nova lux Olympi,
Me jure poſcit Marciades Leo;
Ex quo Nemææ nobile belluæ,
Plaudente Cœlo, ſydus implet,
Et titulo potiore gaudet.
Ille et minorum mobile Syderum
Vulgus, jubarum luce comantium
Perſtringit; invictique vultum
Regis habet, meritumque regni.
Illi et feracem Sol generoſior
Debet calorem; et Signa ſequacia,
Quocunquè ſe fert, ire pergunt
Libra comes, propiorque Virgo.
Ut cautus accendi, ac dominus ſui,
Quas una magni pectoris æquitas
Perſuadet, immutatus iras
Induit, ac facilis reponit,
Subjecta parcens lædere, proterens
Superba tantùm! Nec timet improba,
Nec provocat ſecurus arma,
Pacis amans, validuſque belli.
Enſem illi Orîon, ſi libeat, ſuum,
Clavamque amicus commodet Hercules;
Quin ſponte conjurata certent
Sydera, magnanimoque pergant
Juviſſe bello. Sed VENETUS LEO
Regnare mavult mitior, et ſuæ
Debere prudens innocentes
Conſiliis Themidos triumphos.

CAPI-

CAPITOLIUM
VENETÆ LIBERTATIS.

Illustrissimo , atque Excellentissimo

ALOYSIO FOSCARENO.

O D E.

HUC paucis volo te, Patriæ ſpes magna, (a) Parentis
Nec gaudium, ALOYSI, minus.
Hic reliquos inter, Proavûm decora ampla tuorum,
Heroas, ipſe intelliges;
Et (b) magnum in primis, Batavis quem nuper in oris
Mors dura rapuit, Patruum.
Sed quid ego rerum in turba prius eloquar ; aut quo
Satis ore, quæ vidi, exprimam?
Nunc etiam attonitam rapit admiratio mentem;
Animuſque, quod fruitur adhuc,
Narrare indocilis, viduas, rebuſque minores
Voces Poetæ commodat.
Proh! quiſnam, ignoto correptum pectora Phœbo,
Me nuper ales Pegaſus

P De-

(a) *Excellentiſſimi* NICOLAI FOSCARENI , *Senatoris ampliſſimi*.

(a) *Excellentiſſimum* SEBASTIANUM FOSCARENUM *Equitem, ac D. Marci Procuratorem ex merito, paucis antè annis in Hollandia defunctum , cùm eſſet ibi pro Sereniſſima Republica Legatus extraordinarius ex occaſione pacis, de qua tunc agebatur, inter Chriſtianos Principes.*

Degeneres ultra terras, intraque beatos
Vexit Penates Gloriæ?
Talia victricis nunquam Capitolia Romæ
Suspexit hospes saxeus,
Dum bello Magni reduces, Paulique referrent
Spolia ampla Tarpejo Jovi.
Nescio quid Venetæ Capitolia Libertatis
Plus exhibent spectaculi.
Urbs patriis latè princeps dominatur in undis,
Bissena jam post secula.
Nullum docta jugum, nulli unquam addicta Tyranno,
Aut extero, aut domestico.
Ipsa quidem, fateor, scalpro cælata perenni
Sua prædicat pericula,
Et decora, heu! nimiùm duris exercita fatis,
Invicta Libertas tamen:
Seu conjuratam nocturno fœdere totam
Cùm sensit Europen simul:
Seu captâ proniùs Ligures extrema minantes
Cùm vidit anceps Clodiâ.
Nil ratibus, turmisque tamen victricibus ultrà,
Ut plura tentent, jam licet.
Scilicet invicti caræ pro mœnibus Urbis,
Rerum et suarum prodigi,
Stant circùm Heroes, nullamque horrentia cladem, et
Devota morti liberæ
Pectora pro muris, et inexpugnabile vallo,
Sistunt vocanti Patriæ.
Ergo Virtutem admirans Fortuna relictam,
Causam priorem deserit.
Inde comes Veneto, partem ut sectetur eamdem,
Victoriam secum vocat:

Iam-

Jamque (hominum, heu! fati malè conscia corda futuri)
Ubi nuper et spes, et minas
Extulerat victor; victus ferroque, fameque,
Venetique totam sentiens
Vim belli, duris miseram sub legibus, hostis,
Optare pacem cogitur.
Ipsa olim Adriacæ Carthago Ligustica Romæ
Animisque, et armis æmula,
Magna licèt stet adhuc, et libera, sponte secundo
Nunc assidet prudens loco;
Majoremque videt dum te, Adria, jure superbit,
Certare quòd potuit diu.
Cætera quid memorem? Longum est, terrâque, marique
Præclara belli Nomina
Dicere. Nullus ibi Cæsar, nec Cæsaris ullus
Armatus in Socerum Gener.
Non populo Gracchi indomito, Mariique faventes;
Plebsque, et Senatus imperans.
Hinc sceptrũ procul, atque jugum est: Plebs Patribus ultro
Subjecta, Patres Legibus.
Ipsa suos inter, mediis innixa trophæis,
Regina Libertas viros
Imperat; et, similes illis habitura nepotes,
Majus parat Capitolium.



A D N. N.

Insignem Philosophum, ac publicum Philosophiæ Professorem.

O D E.

QUalem, minores despiciens aves
Regina, fulvam progeniem docet
Nidum reliquisse, atque anhelis
Ponè sequi per inane pennis
Ducem parentem; tum patrio admovens
Cœlo probandam, quà nitet acrior,
Regem Planetarum intueri
Luminibus jubet irretortis:
Qualemve cæsis nutrit ovilibus,
Taurique duris artubus, aut equi,
Fœtum e papillis vix recentem
Marmarico Lea mater antro;
Docetque paulatim, ut gerat impiger
Ventura mixtis prælia cum feris,
Unoque rugitu minetur
Funera, perniciemque sylvis:
Te Diva Pallas matris ab ubere
(Testor tuorum jam memorem fidem)
Excepit infantem, et diserto,
Ipsa parens nova, lacte fovit;
Finxitque primos erudiens sonos,
Doctèque vagiri, et teneris adhuc
Expromere argumenta labris,
Et docuit manibus pusillis

Tracta-

Tractare chartas Cecropii senis,
Pictoque letùm plaudere Socrati,
    Cunisque reptantem relictis
        In mediis recubare libris.
Quidnî eruditam nunc juvenis vomas
Tussim Stagiræ, doctaque jurgia,
    Mentemque scruteris recentum
        Ambiguam, ac veterum Sophorum,
Quæsitor æqua lance severior:
Experta quod te mox Ratio docet,
    Mundique, Naturæque causas,
        Et genus, interitumque rerum,
Moresque, pergas ingeniosior
Narrare prima doctor ab exedra,
    Plaudentis exceptus theatri
        Laudibus, attonitæque turbæ?
Tantæ rudimentum sapientiæ
Cùm poneres jam parvulus; alterum
    Tunc ipse Gassendum parenti, et
        Certus Aristotelem spopondi.



DEIPARÆ VIRGINIS,
EX AMORE
IN CHRISTUM DOMINUM
Singulas ejuſdem pœnas perferentis,
IMAGO LYRICIS VERSIBUS EXPRESSA.
Ad R. P. BARTHOLOMÆUM SPINELLUM Societatis JESU,

Cultorem Divæ Virginis ſtudioſiſſimum, ac Poetam.

CUltor VIRGINIS, et Poeta felix;
Quando quælibet eſt Imago tantæ
MATRIS cara tibi, colique digna:
Hanc ne deſpicias, amicus ultro
Quam vates tibi mittit, imperito
Expreſſam calamo, rudique verſu;
Ipſi ſed ſimilem tamen Parenti,
Senſu quam tenero refert dolentem,
Forti pectore nec minus ferentem,
Heu! dulcis lacrymanda fata Nati.
At tu, cui melior manus, colorque,
Cui plus ſuppetit artis, ingenique,
(Namque ipſa ingenii magiſtra, et artis
Eſt VIRGO tibi, quam colis, caniſque)
Ah! mittas aliquam, precor, perito
Expreſſam calamo, tuoque verſu,
Tantæ MATRIS Imaginem: vel ipſum,

Unde

Unde est incolumi pudore mater,
Strato vix paleis Locantis antro
Infantem tremulum gelu: vel intra
Maternas tibi Blandientis ulnas,
JESU parvule; vel tuas Vocantis
Ad cunas residem venire Somnum:
Vel, Cœlo duce, conjugisque sancti
Ad nutum, in Pharias Euntis oras,
Caro pondere, quod simul ferebat,
Longæ grande viæ levante pondus:
Vel quidvis aliud Gerentis, istas
Dum mortalis adhuc trahebat auras;
Namque est carmine, barbitoque dignum,
Quidquid PARTHENIS ipsa gessit, istas
Dum mortalis adhuc trahebat auras:
Vel festo emeritum Petentis axem
Curru, Cœlicolûm canente circùm,
Et toto simul obsequente regno:
Vel, quidquid Superûmque, Adamidûmque
Reginæ libeat, Potentis omni,
Quà latè patet, imperare Mundo,
Ipso protinus annuente Nato:
Vel (quod dulcius, et quod ipse malim)
Felici e solio, suoque Cœlo,
Vix ipso minùs invidente Cœlo,
Sese sollicitam Exhibentis ultro
Imis vel famulis, clientibusque,
Patronam simul, et simul Parentem.
Quantò pulchrior hæc erit MARIÆ,
Unàque ingenii, tuique cordis,
Illâ, quam tibi mitto nunc, Imago,
Cultor VIRGINIS, et Poeta felix!

DEIPARA VIRGO
AD
CHRISTUM DOMINUM;

Cùm ab ipsa, subiturus extrema supplicia, discederet.

ODE.

CErtumne tandem ſtat tibi tot libèns
Subire pœnas? Nec, licèt innocens,
Reuſque tantùm caritatis
Heu! nimiæ, fieri perhorres
Mundi nocentis ſupplicium, et ſcelus?
Præſaga certè mens tibi militum
Oſtendit iras, ac furorem
Iſacidûm, Solymæque probra,
Et quidquid ultrà eſt; nec tamen aut tui,
Aut, Gnate, paulùm te miſeret mei,
Tecum uſque conſortis futuræ
Supplicii, horribiliſque fati?
Ipſa antecedo, ſi moreris; ſequor,
Si vivis. Illud me ſine non potes,
Iſtud potes. Quia jam Parentem,
Ut valeat, moriturus oras?
Caſurus unâ filius opprimit
Matrem ruinâ. Si ſociam tamen
Fatalis horæ, ſi ſequacem,
Heu! prohibes miſeræ dolorem

Parentis; omnem nil moror en Patri,
Tibique Matrem ſubdere. Quod tuæ
Intendis optatum, levamen
Iſtud erit, pretiumque, morti.

EADEM,

CHRISTO DOMINO

SANGUINEUM SUDOREM EMITTENTE.

ODE.

STipate malis ſemianimem, ac roſis
Fulcite Amorem. Num tribulos adhuc,
Spinaſque tellus innocentis
Germinet imbre ferax cruoris?
O Sponſe verè nunc mihi ſanguinum,
Quidnam laborum nuntiat hic novus
Per membra ſudor; quid dolorum
Purpurei lacrymantur artus?
An ſic propinquæ accingeris, impiger
Athleta, pugnæ? Vulnera prævenit,
Sæviſque præludit flagellis
Proſiliens tibi ſponte ſanguis.
Vultus quis autem non ſuus occupat
Pallor ſerenos? Quis tremor, aut metus
Invadit artus; quæ beatam
Triſtities ſubit atra mentem?

Quid

Quid vota, Patri promptior obsequi,
Anhela mittis? Quid Calicem abnuis?
En, Gnate, Matrem: quidquid hoc est,
Ipsa feram, patiarque tecum.
Patrem quod oras, hoc fieri potest;
Factumque jam hoc est. Scilicet ad tuam,
Cruore plenus, lacrymisque,
Transiit iste Calix Parentem.

EADEM,

CHRISTO DOMINO

AD COLUMNAM FLAGELLIS CÆSO;

Ex illo Psalm. 128.

Supra dorsum meum fabricaverunt, *sive*, *ut alii legunt*, araverunt peccatores.

ODE.

DUro siccine Virginis
Tellus, heu! domino cedit, et effero
Altè vomere scinditur?
Ah! vos Agricolæ, sistite, criminum
Crudeles. Meus est, meus
Hic, et floribus, et messibus aureis
Omni parte beatior,
Campus; nec metuens temporis invidi,
Et

Et nunquam Domino ſuo
Infelix. Et erunt militis impii
Hæc tam culta novalia;
Floreſque, et ſegetes undique verberum
Tempeſtas ruat impotens?
Quid ferro validas, turba procacior,
Exercetis adhuc manus?
An theſaurus agro quæritur abditus,
Imi et viſceribus ſoli
Inferre indomitam barbariem juvat?
An non effluit undique,
Non uno veniens flumine, ditior
Pactolo cruor, et Tago?
An non vincit adhuc vos adamantinæ
Theſaurus patientiæ?
At quid verba mihi mittere proficit
Surdis irrita cautibus?
Hunc o virgineum quiſquis agrum vides
Sulcis tot malè ſaucium, et
Veſtrorum lacerum vomere criminum;
Aut illum lacrymis riga,
Aut illo fueris marmore durior.



EA-

EADEM,
CHRISTO DOMINO
SPINIS CORONATO.
O D E.

HUc, o vos celeres, precor
Regnantis Solymæ gloria, Virgines,
Caſtis e penetralibus
Mollem efferte pedem, ſiquis adhuc tenet
Ignis vos, et amor vetus;
Formoſumque, notâ tempora regiâ
Cinctum, viſite Principem.
At non hoc Genitrix, mi Salomon, tua
(Urbem ni tamen impiam
Matris nunc etiam nomine conſecras)
Impreſſit tibi ludicrum,
Et ſertum ſolidis vepribus horridum.
Heu! quale intueor caput,
Et nuper placido Sole ſerenius,
Auro et purius Indico!
Heu! quàm diſſimiles nunc video comas,
Triſtes ſanguine depluo,
Et vulſis laceras undique crinibus!
Hæc, et cætera pallidæ
Spectant Parthenides, notaque amabilis
Quærunt ora Didaſcali;
Sævuſque attonitis et dolor, et ſtupor
Voces, ac lacrymas vetant.
Vobis interea, turba ferox Veprum,

Pœnam

Pœnam quos ſimul, et decus
Indulget capiti ſiſtere Rex ſuo,
Indignantur, et invident.
At mox compoſitis (uſque adeo facit
Invictus ſimiles amor)
Ipſæ Parthenides et caput, et ſinum
Ultro floribus exuunt,
Iratæ ſimul et floribus, et ſibi.
Tum formæ ſpeculum novæ,
Vultus, Chriſte, tuos, oraque conſulunt
Pœnis horrida triſtibus;
Contextiſque, pius quos furor invenit,
Raptim ſentibus, ac rubis
Gaudent ingenuum cingere verticem.

EADEM,
CHRISTO DOMINO,
Cùm ad Calvarium duceretur, Crucem ſibi ferente.

SCAZON.

PRoh quantùm ab illo, quem modò triumphantis
Excepit inſtar Vatis, ac ſui Urbs Regis,
Nunc ex eadem prodit urbe diverſus,
Adamidûm Servator! Ubi ſacri plauſus,
Lætuſque paſſim gratulantium clamor?
Ubi feſta nuper mœnia, et ſolum flore

Stratum obſequenti, nec ſuis virens palmis,
Quacunquè tranſit certa Davidis proles?
Scilicet amorem vertit in odium majus
Infida Solyme; quemquè frondibus lætis
Nuper canebat Vindicem diu optatum,
Sontem fatetur impiam ad necem raptans,
Sontiſque dorſum lurido premens ligno.
Illum exeuntem fœda plebis ingratæ
Ludibria proſequuntur, et joci turpes,
Et quidquid amens, ac potens furor sûadet.
Adeſte mecum rurſus, et ſequi veſtrum
Properate, turba Virginum comes Matri,
Regem, Magiſtrum; quodquè dulcius, Sponſum.
Vobis ſat illum, cæteris ſit ut nudus
Bonis, ſuus commendat, atque amor veſter.
Quanquam quid illi deſit, aut quid optemus
Amplius in ipſo? Nempe raptus ad ſævum
Collem, mihi, vobiſque jam libèns ſecum
Sua portat omnia bona, dum Crucem portat.



EA-

EADEM,
CHRISTO DOMINO
JAM CRUCI AFFIXO.
SCAZON.

EHeu! quid ultrà quæro? Jam ſatis vidi
In monte Myrrhæ, Thuris et ſuper collem,
Ubi cubet æger in meridie Sponſus.
O florido pro lectulo torum ſævum,
Quamvis ab ipſa Caritate conſtratum!
O triſtis, et laboribus quies pejor,
Nigrique Somni mater, ac ſoror Mortis!
Medius latronum nempe cordium raptor,
Hominumque Vindex, foditur aureas plantas,
Manuſque vernas, arbori malæ fixus;
Ibique juſſus perpeti necem longam.
O Sponſe rurſus ſanguinum mihi, quando
Ad te trahis nunc cuncta, me trahe huc primam,
Durique thalami redde, quæſo, conſortem.
At id negas, et aliquid exigis majus:
Ut nempe vivam, teque patiar extinctum.
Quid hic reponam? Dura lex quidem Natum,
Sponſumque amanti, dura; ſed tamen Patrem,
Dominumq. in illo, et, quod mihi omnium eſt inſtar,
Deum colenti, ſancta lex, potens, prudens,
Et cui Parens, cui Sponſa jam lubens ſubſit!
Ergo (tuæ levamen hoc habe mortis)
Vivam; et ſub iſta fortiùs gemens planta,
Amoris ingens, ac doloris exemplum,
Myrrham fluentem colligam, et ſinu condam.

GRAM-

GRAMMATICUS,

IN MINIMIS ALIQUANDO RELIGIOSIOR.

Alluditur ad Zoilos illos, qui, rebus gravioribus omiſſis, leviſſimis plùs æquo immorantur, in iiſque magnos ſubinde viros reprehendunt.

EPIGRAMMA.

GRammatici plures de lana ſæpe caprina,
De nihilo plures grandia bella gerunt.

Utrum *Vergilius*, lis eſt, an *Epiſtula* dici
Debeat: an *Suboles*, an meliùs *Soboles*.

Culcitra nonnullis pugnatur, *Culcita* multis;
Patriciuſque aljis, *Patritiuſque* aljis.

Quidnam ſignificent *Holophantæ*, *Sy*-que-*cophantæ*:
Quid ſibi *Mecaſtor*; quid ſibi vult *Edepol*.

Cujus ſit generis *Spinther*; cujus numeri ſit
Præſto: *Auctor* probat hic, ille ſed *Author* amat.

Hæc longi cùm ſint, reliquis jam rebus omiſſis,
Materies ſtudii, diſſidjique frequens:

Vos, o Grammaticæ Summæ, Inferioris, et Imæ
Induperatores, terque quaterque precor,

Per *Verba activa*, et *Neutra*, et per *utrumque Supinum*,
Dicite: quid ſibi vult hoc *Titivilitium*?

DE

DE FUCATO QUODAM,

AC PERPERAM ACUTO DICENDI GENERE,

Quod haud multis ab hinc annis apud Oratorum, ac Poetarum plerosque invaluerat.

EPIGRAMMA.

QUondam Rhetoricæ fuerat Romana vetustas,
Et matronali cultus in ore decens.

Nunc eadem crines fingit morosa; suisque,
Ut placeant, emptas addit inepta comas.

Ora linit fuco, falsis quoque floribus ornat
Tempora; nec decus est, sed decor in pretio.

Erroris, non artis opus, decor: ipse magister
Laudem artis quamvis, dum placet, error habet

O ætas mala! Sic annis decrescitur; et quæ
Jam matrona fuit, vana puella modò est.



VETUS,

AC ROMANUM DICENDI GENUS,

Apud omnes paſſim tum Oratores, tum Poetas, in dies magis nunc temporis invaleſcens.

PHALEUCIUM.

VEſtro plaudite Seculo ſagaci,
Et Rhetor bonus, et bonus Poeta.
Jam non ampliùs, ut placere poſſit,
Audet Rhetorice, Poeſis audet,
Empto crine caput, colore vultum
Mendax, et vitreis nitens pyropis,
Nunc ſe credere publico videndam.
Hoc felix ſtudio, venuſta cultu,
Spectandam ſimul, et ſimul probandam
Ætati utraque ſe dabat priori;
Cùm Rhetor bonus, et bonus Poeta,
Qualis Virgiliuſque, Tulliuſque,
Audiret mediocris, ac pedeſtris.
At nunc, dum ſapiens, et eruditus
Jam mos invaluit, placetque paſſim,
Quod pridem poterat placere paucis;
Artem Rhetorice, Poeſis artem
Germanam didicit diu placendi.
Ergo rejiciunt, et ire longè
Ceruſsamque jubent, rubenſque nitrum,
Suggeſtumque comæ, comaſque fictas,
Et fictos adamantas, ac ſmaragdos,

Et picto positos in ore nævos;
Et quidquid manus impudica fingit
Venali pretium datura formæ.
Expertæ didicere, quæ venuſtas
Nunc doctos mereat potens amores,
Et blandis animos trahat catenis:
Fuci ſcilicet, ac tumoris expers,
Vultuſque ingenuos ferens venuſtas,
Et cautam ſpeculi latentis artem,
Et nil, quod decus, aut pudor recuſet.
Talis, Marce, tuæ decor Suadæ:
Talis forma tuæ, Maro, Poeſis.
Veſtro plaudite Seculo ſagaci,
Et Rhetor bonus, et bonus Poeta.

POETA,

Negligentis plerunque vir paupertatis.

SCAZON.

HAbui Poetam nuper obvium quemdam.
Proh! quàm mihi pannoſus, et macer totus,
Pædore vultum plenus, horridus crines,
Magnique meditans neſcio quid eſt viſus!
Poterat figura dicier *Tapinoſis.*
Talemnè te conſpicio, (tunc ego) magni
Alumne Phœbi? O ut habitat malè Poeſis!
An elegantes efficit fames verſus,
Doctuſque, ſi non eſurit, tacet vates;
Corvi ut poetæ, vel poetriæ ut Picæ?

At ille: Fatum quem latet Poetarum?
Frugifera Pindo planta nulla consurgit;
Et liberales arbores ibi tantùm,
Hortisque doctæ divitum inseri, crescunt:
Hederæ sequaces, Laurus et triumphalis,
Et hospitalis Platanus, et flagrans Myrtus.
Nemus omne gloriæ viret, fami nullum.
Ipsæ carentes dote cœlibem vitam
Egere Musæ; jamque sunt anus canæ,
Quamvis puellæ audire gaudeant blandæ.
Natus parente pauper ipse Latonâ
Phœbus, Pheræi sordidus gregis custos
Mulcebat antè fistulâ pecus lassum;
Quàm, carminumque, barbitique præceptor,
Doctæ in bicorni colle Phocidos sacris
Sororibusque, Vatibusque regnaret.
Regnum at quod istud? Nempe jus habet nullum,
Nec habere quærat in quod impotens regni
Libido, paupertate jam sua tutum,
Magnisque tantùm mentibus coli dignum.
Quid plura? Vel Poesis, ut solet Virtus,
Aut excipit nudos opum, aut facit tandem.
Hæc ille. Ne me pluribus moraretur,
Vatis probavi dicta; sed tamen risi.



DE MEDICO IMPERITO, AC PAUPERE.

EPIGRAMMA.

ÆGrotas, Chryſippe; ſimul Chryſippe, mederis:
Hinc es mendicus ſcilicet, hinc medicus.

Plures febris habet, ſtomachi faſtidia plures:
Hic caput, ille frequèns viſcera torta dolet.

Te maleſuada fames, te languida vexat orexis;
Et nihil, huic medicus quo medearis, habes.

Hinc alijs aliud præſcribis pharmacon ægris;
Una ſed eſt morbo ſat medicina tuo.

Illam æger præſtare ſolet, tu quæris ab ægro;
Utque illam accipias, tu quoque ais, *Recipe*.

Dumque manus ægri tangis, venamque micantem;
Tangit et ipſe tuas, ungit et ipſe manus.

Cætera conveniunt; Medicuſque, atque Æger uterque eſt.
At non ſucceſſu gaudet uterque pari.

Nempe, ut ſit melius Medico, bonus efficit Æger:
Æger poſt Medici pharmaca pejùs habet.

ARS CHIMICORUM,

SIVE AURI CONFICIENDI, VANISSIMA.

EPIGRAMMA.

AUri ſacra fames quidnam mortalia cogat
    Pectora, certa fides Chymicus eſſe poteſt.
Non illum fulvi dubium ſpes blanda metalli,
    Quæ toties alios, ſeque fefellit, habet.
Erroris cauſam jam repperit ipſe prioris:
    Hoc ſatis, Ars juſſas fida miniſtrat opes.
Ergo, libros poſtquam centum, centumque caminos,
    Mercurium in primis conſuluitque ſuum;
Sub tacitis cæcum ſibi conſtruit ædibus antrum:
    Bronti aptum, et Steropi dixeris eſſe locum.
Quot rerum hìc ſpecies, et barbara nomina, certis
    Digerit ordinibus, ponderibuſque ſuis!
Quot varios ignes, quot præparat ignibus ollas;
    Ignotoſque tibi, Pharmacopola, tubos!
Nulla quies miſero. Nunc huc, nunc advolat illuc:
    Hìc adhibet certas totus, ibique moras.
Sic malè ſperato longè pallentior auro,
    Et noctes illic exigit, atque dies.
Olli magna tamen ſervatur gloria; quamvis
    In fumum merces, et labor omnis eat.
Scilicet ex nihilo quondam Deus omnia fecit;
    Chymicus at nihil ex omnibus ipſe facit.

DE

DE QUODAM,

Ad alienas præsertim mensas, doctrinæ suæ præcone celeberrimo.

PHALEUCIUM.

O Monstrum sapiens, et eruditum!
Pictor, Grammaticus, Poeta, Rhetor,
Jurista, Astronomus, Theologusque,
Naturæque Sophus, Sophusque morum,
Bellandique sciens, et imperandi!
Quantos, et quot habes viros in uno!
Credas Pithagoran, et Archimeden,
Et Demosthena, et inclytum Solona,
Zenonem, Periandron, et Platonem,
Smyrnæumque senem, et senem Stagiræ,
Orpheum, Callimachum, Eschylum, Philætam,
Atque omnem veterum gregem Sophorum,
Quos et Græcia prisca, quos et omnis
Prudens Italiæ dedit vetustas,
Tot grandes animas migrasse in unam.
Si quæras, referet, quid in Britannos
Nunc magnus Lodoix paret; quid Istro
Cæsar debeat, aut cavere Rheno:
Sperandum quid utrique, quid timendùm
Jam regno Hesperiæ super labanti.
Huic Reges faveant, an huic minores;
Illa quis valeat, quis hac in aula.
Si quæras; refert priori ab ovo

Regnorum genesim, ordinemque Regum,
Et quo quisque, quotoque vixit anno;
Decertataque bella tot per annos,
Clades; damna, metus, fugas, triumphos;
Omnes historiasque; fabulasque,
Que sunt uspiam, et uspiam fuerunt.
Quidquid scire velit, docebit ille:
Nemo scire velit, quod ille nescit,
Rerum syllabus omnium, omniumque
Ingens bibliotheca seculorum.
O monstrum sapiens, & eruditum!
Sic Romam esuriens petebat olim
(a) (Salso siqua fides habenda vati)
Magnæ, Græculus, helluo culinæ.



JESUS

(a) *Vide Juvenal. Sat.* 3.

JESUS INFANS,

Regum Magorum munera excipiens.

EPIGRAMMA.

Thus, Aurum, Myrrham, Christo dant munera Reges;
Et super hæc animum, munera prima, suum.

Dona bonus prensat puer, et lætatur in illis.
Dona tamen puero sunt duo læta minùs.

Non illum Thus, non illum jam detinet Aurum.
Plus longè in Myrrha, quo teneatur, habet.

Sistit in hac Infans, et dicere velle videtur:
Cætera dona decent, unica Myrrha placet.

Gratum Aurum vestrum est; sed erat pretiosius illud,
Quod Cœli nobis Regia pulchra dabat.

Thus etiam gratum est; sed erat fragrantius illud,
Cœlicolæ obtulerant quod mihi sæpe mei.

Dêerat apud Superos mihi Myrrha: hanc quærere terris
Venimus: hæc terris invenienda fuit.

Ergo Aurum tibi sit, Joseph; tibi Thus, bona Mater:
Hæc pro me tantùm, totaque Myrrha mea est.

AD DIVAM VIRGINEM,

Infanti JESU ſomnos conciliantem.

EPIGRAMMA.

QUid puero lentam, pulcherrima Virgo, quietem
Pergis amans vultu conciliare tuo?

Claudat an ille ſuos, nequicquam expendis, ocellos;
Ora per Infantis blandaque ſomnus eat.

Nempe ſuos Infans quî claudere poſſit ocellos,
Dum cernit vultus, perfruiturque tuos?

Dulcius eſt illi ſomno ſpectare Parentem.
Et cui ſit ſomni, te modò ſpectet, opus?

Vin' Puerum dormire? Tuos procul abſtrahe vultus.
Tunc oculos claudet forſitan ille ſuos.



ALIUD

A L I U D.



UT veniat, quid, Virgo, vocas, dulcissima, Somnum
Ad pueri cunas; næniolamque canis?

Jam venit, jam Somnus adest, auditque canentem;
Totus adhuc vigilat sed tamen usque puer.

Nec madidis cunas Somnus circumvolat alis,
Nec blandâ pueri lumina tangit aquâ.

Nempe tuæ sacra captus dulcedine vocis
Hæret, et oblitus muneris ipse sui est.

Desine paulisper cantûs, tunc dormiet Infans.
Infantem cupias cùm vigilare, cane.



IN

IN NOMINE JESU
OMNE GENU FLECTATUR,
Cœleſtium, Terreſtrium, et Infernorum.
Ad Philippenſes c. 2.

EPIGRAMMA.

QUI, meritæ pretium fidei, ſupera alta tenetis,
O nunquam læſo turba beata Deo:

Qui colitis, miſeri, Stygiæ loca pallida noctis,
Digna quidem ingratæ præmia perfidiæ:

Qui medji Cocytum inter, Cœlumque profundum,
Mortales, patriam nunc habitatis humum:

Excipite auguſtum venerantes nomen JESU;
Et trepidet flexo poplite quiſque minor.

Cernitis? Audito procumbunt nomine; meque
Obſequio terrent cuncta, docentque ſuo.



INDUI-

INDUIMINI DOMINUM JESUM CHRISTUM.

Ad Rom. c. 13.

PHALEUCIUM.

VAni ſpem Patroclus ſequens triumphi,
Sacris Æacidæ ſuperbus armis,
Stulto provocat Hectorem duello.
At nil blanda juvat Chimæra frontis,
Nil, ſculptus Siculi manu Cyclopis,
Thoracis metus, ægidiſque terror.
Quæſivit domini manum prioris
Enſis, nec ſua vis fuit ſagittis;
Et falſus patuit cadens Achilles.
At ſe, quem Stygius laceſſit hoſtis,
Aut Mos improbus, aut proterva Cypris,
(Quando bella frequens vel imparatis
Horum quiſque movet) timoris expers
Toto muniat, induatque JESU.
Hic ultro arma miniſtrat, et ſuarum
Virtutum exuvias, ſacriſque in illis
Artem militis, et fidem triumphi.
Quin teſtis ſimul, et patronus idem,
Pugnanti favet; ac novas in hoſtem
Vires, intrepidumque pectus addit,
Et grandes animos, Deoque plenos.
Nec mirum; ſua præpotens JESUS
Nam, dum noſtra juvat, trophæa ſervat,
Et, cùm vincimus, ipſe tunc triumphat.

D. D. ENRICUS IMPERATOR, ET CONJUX CUNIGUNDE,

In thalamo Casti, in aula Sancti.

EPIGRAMMA.

QUid procul invisa, Pietas, fugis exul ab aula?
Nomina connubii cur tibi sæva, Pudor?
En solio, thalamoque Enricus, et Uxor in uno.
Cernite, mox vestrum clamet uterque prior:
Consulat hunc Thalamum, casti cui cura pudoris:
Intret in hanc Aulam, qui cupit esse pius.

B. ALOYSIUS GONZAGA,

Inter ardentis lectuli flammas illæsus.

EPIGRAMMA.

SUbdolus incautos Gonzagæ fallere somnos
Dum parat, et lectum Mulciber omnis habet;
Cauta diu timidæ circùm reverentia flammæ
Serpit; et in medio est pulchrior igne quies.
Nempe minor meritò Gonzagam hæc flamma timebat:
Ille, Venus, flammas vicerat antè tuas.

D. ROSULA

VIRGO, ET MARTYR.

EPIGRAMMA.

HÆC Roſa pulchra quidē fuerat, ſed candida tantùm;
Candor et hic animi, candor et oris erat.

At Venus: a noſtro rubet omnis turba roſarum
Sanguine, ait: ſanguis ſit rubor iſte tuus.

Cui Roſa: ne caſti pereat mihi candor honoris,
Purpura mî potior ſit cruor iſte meus.

Dixerat. Addictam Chriſto, fruſtra auſa Tyrannis
Flectere, tunc rigido ſauciat enſe Roſam.

Sanguine ab ipſa ſuo ſic, caſto pectore tantùm
Candida quæ fuerat, nunc quoque rubra Roſa eſt.



MAR-

MARGARITA,

Apud Latinos nomen Gemmæ,
Apud Italos hodiernos Floris.

DE D. MARGARITA

VIRGINE, ET MARTYRE.

EPIGRAMMA.

MArgaris auguſtæ præſefert nomina gemmæ;
Margaris ingenui nomina floris habet

Quàm bene, ſeu mores, ſeu mentem expendis in illa,
Nomen utrumque implet, nomen utrumq; gerit!

O dignum te, Chriſte, decus! Si florea ſerta,
Flos eſt; ſi mavis gemmea, Gemma tibi eſt.



FLOS

FLOS PASSIONIS,

SIVE

B. CLARA IN PICENO,

Cujus in corde impressa visuntur Christi Domini patientis instrumenta.

EPIGRAMMA.

FLoribus impressit sacros Natura dolores,
Signaque supplicii conscia, Christe, tui.

Aspicis, ut parvam referat Granadilla columnam,
Et flagra; cum spinis diraque serta suis.

Et crux, et clavi, color et morientis in illa est:
Vulnera penè legas, carnificumque manus.

Quas Natura tamen pœnas expressit in hortis,
Pulchriùs in CLARÆ pectore sculpsit Amor.

Impressos sentis, nedum geris, ipsa dolores:
Cætera divini, Partheni, Floris habes.



CONSTANTIA
D. AMARANTHI MARTYRIS,

In flore Amarantho expressa.

PHALEUCIUM.

O Ætas brevis, et caduca florum!
Languent vefpere, manè qui virebant;
Hefternofque licet videre nunquam.
Nullus flos adeo, nifi recens, eft.
O ætas brevis, et caduca florum!
At flores Amaranthus inter omnes
Fati gaudet amore liberalis.
Non illum nebulifve, Solibufve,
Non illum pluviis iniquus æther,
Lætæ deftituat decore formæ.
Ridet fibilon infolentis Euri,
Et duri Boreæ minas inanes;
Ceu vernâ, viridis, fruatur aurâ.
Quin et, dum Scythicas dolens pruinas
Defolata riget per arua Chloris;
Mæftæ Chloridos eft honor, decorque,
Unus, nec Scythicas timet pruinas.
Quis longi meritum, decufque Veris
Flori præftitit, ufque cæterorum
Turba fcilicet invidente florum?
Hoc debet tibi, cujus ipfe nomen
Præfefert, AMARANTHE, Chriftiani
Vindex ftrenue nominis, nec ullis
Hinc blandi precibus, furentis inde

Fle-

Flecti suppliciis potens Tyranni.
Jam non debuit exprimi caduco
Hæc Constantia flore, sed perenni.

ADSCITITIÆ, PROLIXÆQUE COMÆ USUS,

Nationem apud omnem cultioris Europæ jam communis.

EPIGRAMMA.

QUÆ fuit Europe, jam Gallia tota comata est:
Vix patriæ vultum gens habet ulla suæ.

Ipsos Heroas tangit, Patresque severos,
Gloria compositæ quantulacunque comæ.

Nec, falsis redimens ætatis damna capillis,
Sola studet socrus junior esse nuru.

Hæc alios quoque cura tenet: circumspice crines,
Qualibet occurret rarus in urbe senex.

Barbatos Curios, et nudo vertice Gracchos
In tabulis monstrant atria sola suis.

Laudo tamen, quidquid præsens tempusque, locusque;
Quidquid in hoc prudens virque, senexq; probant.

Nec sua cæsaries animos infregit Achillis:
Par illi longis crinibus Hector erat.

Tales fòrs crines amat et civilis honestas;
Et multum res hæc utilitatis habet.

Tantùm vir caveat, ne cui videatur ephebus:
Ipse senex caveat, ne videatur anus.

AD SENEM QUEMDAM,

Formæ suæ studiosissimum.

EPIGRAMMA.

QUem te, vane senex, dicam; cui pluris habetur
Judicio capitis judicium speculi?

Jam pater est alter solitus te dicere patrem;
Jamque nepos dudum te vocat alter avum.

Magna tamen (quis credat?) adhuc tibi cura placendi est.
Vix Paris ad cultus ipse, quod addat, habet.

Mitto leves phaleras, et vix florentibus annis
Dignam, qua gaudes pulchrior ire, togam.

Cura comæ potior. Mos est tibi radere canos,
Ut major sit frons inde, minusque caput.

Quas Anglæ misere nurus, Germanave virgo,
Succedunt flavæ, sylua parata, comæ,

Nec satis hoc: Cypri conspergitur imbre minutæ
Aurea cæsaries, parsque propinqua togæ.

Quin glabro priùs aufertur seges hispida mento,
Et vulsas pumex lævigat usque genas.

Tyndaridum, Paridumque hinc blandis cœtibus adstas,
Blandior ipse, frequens risus utrisque licèt.

Qui putet esse senem, vix est tamen ullus in illis;
Vix ullus, qui te tunc putet esse virum.

Unde virum credant, cui toto fœmina vultu;
Cui melior capitis pars, aliena coma est?

UXOR

UXOR LOTI

In statuam Salis.

EPIGRAMMA.

ARsuram Lotis ne lumina vertat ad urbem,
Nuntius irato missus ab axe monet.

Dura quidem lex est, et quam vix fœmina servet.
Hæc poterat certè quidlibet antè pati.

Ergo retro vetita indociles ad mœnia vultus
Conjicit imprudens, nec memor ipsa sui.

Vix tamen ut vidit, mox desiit illa videre;
Totaque jam sal est, cui nihil antè salis.

Hæc ego cùm canerem, tunc fortè auditor Alexis:
Quod narras, miri nil mihi, dixit, habet.

Lotida quæ referat, mulier mihi plurima nota est:
Nunc sapit illa nihil, nunc sapit illa nimis.



NABUCHODONOSOR,

Ex Aula brutum, ex Sylvis homo.

EPIGRAMMA.

QUI domitos latè populos, Solymamque ſubactam
Addiderat regnis, altera regna, ſuis;

Degener Aſſyriâ regnator pellitur aulâ,
Jam brutum formâ: moribus antè fuit.

Ignotum accipiunt monſtrum ſtabula alta ferarum;
Seque feras inter jam ſtupet ipſe feram.

Sic tamen et mores hominis, Cœlique timorem,
Et noto diſcit ſuccubuiſſe Deo.

Hinc, ubi præteritæ vindex, vitæque futuræ
Olli annos ſeptem ſylua magiſtra fuit;

Tunc potuit, rex nempe ſui, rex eſſe ſuorum,
Jam ſibi, jam ſolio redditus ipſe ſuo.

Ille quidem ſapiens nunquam rediiſſet in aulam;
Hæc erat at ſcelerum pœna luenda ſuper.



PRU-

PRUDENTIA.

LIBRI DUO.

EDITIO ALTERA,

AUCTIOR, ET CORRECTIOR.

Illustriss., atque Excellentiss. Domino

D. CRISTINO MARTINELLO

JOANNES ANTONIUS BERNARDI S. J.



Uam paraveram magna ex parte Adriaco in Pindo poeticam hanc Prudentiæ Didascaliam, auditoribus exinde meis, Prolusionis Rhetoricæ loco, enuntiaturus, nisi ex Rhetore paucis pòst mensibus jussus essem Philosophum agere; cùm rudis prorsus, eademque veluti neglecta jacuisset apud me diu, absolutam jam tandem, auctioremque, (a) *Parmensi nunc e Lyceo non tam publici juris facio, quàm Veneto quodammodo juri repono. Id enimvero exigebant a me jam-*

(a) *Editum primò Venetiis fuit Opusculum hoc de Prudentia, cùm auctor Philosophiam Parmæ doceret.*

jampridem argumentum Operis, &, quam pluribus amicorum feceram, illius expectatio: ut omittam cætera, eaque potiora longè nomina, quibus Opus ipsum, qualecunque demum futurum esset, vixdum primò conceptum Venetiis addixeram, atque obligaveram. Quarè, cùm res jamdiu, uti dicitur, clamaret ad Dominum, eòque iniquiùs apud me retineri videretur, quòd in nullum fermè usum inserviret mihi, Venetis tantùm Adolescentibus destinata; malui vel in re tantula, (accedente præsertim virorum prudentium amica vi quadam, cui hominum plerique, ut diu, multùmque pugnemus, pares esse non possumus) privatum humanissimæ Urbi debitum exsolvere, quàm publicam illius censuram effugere. Quid quòd facilè futurum speravi, ut hanc ipsam scilicet vel propitiam mihi, ac planè faventem, vel mitiorem certè subirem; si, quod humanitas, ac sapientia tua, VIR AMPLISSIME, præstare possunt

nec

nec ignoto prorsus homini, nec fortassis ingrato, ingens erga me patrocinium aliorum judicio prætenderem? Quanquam, ut verum fatear, alia me impulit, eaque præsentior haud dubiè ratio, ut Libellum hunc meum tuo nomini inscriptum vellem, consecratumque. Exposueram tenui metro, ut quod maximè congruere rei didascalicæ videbatur, prima, ut ajunt, Prudentiæ Principia, et receptas maximè regulas; (idem fortassis, si per occupationes cæteras liceret mihi, & in reliquis Virtutibus exinde præstiturus) cùm videlicet mentem subiit tritum illud jam Senecæ, nullique non notum: Ad Virtutem longum iter per præcepta; breve, et efficax per exempla. *Hinc fore mihi visum est, ut hoc in Opere partem ipsius præcipuam nonnemo desideraret; nisi cæteris omnibus Prudentiæ præceptis, quo brevius ad illam, ac facilius iter esset, grande simul, ac Venetis Adolescentibus jam planè conspicuum, illi-*

us

us exemplar præponerem. At hoc ipsum scilicet, ut non desint prudentissima in Urbe quamplures alii, hac laude insignes, patritii viri, cumulatissimè præstas, CRISTINE MARTINELLE; quodquè longè majus est, continenti virtutis laude per omnes ætatis gradus huc usque præstitisti. Et sanè ita omnis instituta tibi jamdudum vitæ ratio est; nulli prorsus ut officio tum publici, tum privati hominis, non facias ubique satis. Suis res quaslibet temporibus, suis negotia qualibet momentis ita distinguis; ut, cùm plura sæpenumero, eademque planè diversa unus, atque idem complectaris, totus tamen in illo uno videaris esse, quodcunque ex omnibus eligatur. An tua major esse possit vel rebus in divinis pietas; vel in alienis æquitas, vel honestas in tuis? An æquabilior afferri a te possit ad omnem rerum eventum tenor animi, atque vultus: quorum ut alterum Rationi submittis, animo alterum; ita neutrum ostendis aut

aliena

alienæ obnoxium fortunæ, aut tuæ? [a] Integritatem, *quod ajebat ille*, atque abstinentiam in tanto viro referre injuria virtutum fuerit; *cùm præsertim vel in lubricis maximè prioris vitæ annis, interque voluptatum illecebras, atque irritamenta vitiorum, nihil in te unquam occurrerit vel oculatissimo cuique, quod, ut in plerisque fieri solet, aut condonaret ætati, aut imputaret fortunæ, aut reliquis naturæ dotibus, ac virtutibus animi, quæ sanè vel ad protegenda in adolescente nobili magna vitia satis esse videbantur, vel defenderet, vel excusaret. Illud potiori jure maximæ tibi laudi, ac singulari commendationi adscribendum duxerim, quòd amorem doctrinæ, non impedimentum civilis vitæ in te ipse ostendas, sed auxilium; multòque facilius tibi esse modum retinere ex sapientia, quàm aliis ex desidia. Nihil temporis, aut studii, vel Reipublicæ detrahis,*

(a) *Tacit. in Vita Agric.*

his, vel amicitiæ, vel urbanæ, ut ita dixerim, ac domesticæ humanitati; & tamen quantum utriusque tibi superest uni ad eruditam solitudinem! Ipsa quippe negotiorum intervalla non tam otio fallis, quàm animo impendis; ipsas ex occupationibus subcisivas horas non studio voluptatum transigis, sed Literarum. Neque in his speciosa tantùm, atque inania sequeris, intra quæ omnem civilis hominis scientiam nonnulli concludunt. Ipsa ingrederis artificis Naturæ penetralia, ipsa expendis erudita Literatorum dissidia; sacrisque adytis altioris Sapientiæ admitteris, non ut hospes, aut admirator, sed ut domesticus, & intelligens. Hæc tibi voluptas præcipua, quæ mentis disciplina: hæc suavissima laborum relaxatio, quæ morum institutio est. Inde tibi iis de rebus aptè, sapienterque disserendi facultas illa, sive, ut vulgò dicimus, felicitas veriùs; quæ nimirum, ut in homine privato, eodemque otioso laudem facit,


sic

ſic in publico, eoque pluribus occupato admirationem. Quanquam, quæ præcipua prudentiæ laus eſt, ac modeſtiæ tuæ, tuam ipſe doctrinam, ac ſapientiam, vel diſſimulas plerunque, ac premis quodammodo; vel, ſi pro loco, ac tempore adhibere fas ſit, uteris veriùs, quàm oſtendis: eamque propterea, qui tecum familiariter agunt, aut intelligunt ſubinde, aut interpretantur; quod [a] ipſa videlicet multarum artium ſcientia etiam aliud agentes nos ornat, atque ubi minimè credas, eminet, & excellit. *Non hæc ego, VIR AMPLISSIME, tui in laudem prædico, ſed in rem meam vix attingo; cùm præſertim plura id genus de te, ac longè majora, & intelligere poſſit quicunque te noverit, & dicere debeat quicunque laudaverit. Patere igitur, ut hanc qualemcunque Imaginem Tui in exemplum adhibeam Operis mei; meoque tuam erga Patriam obſequio aut indulgeas*

ultro

(a) *Auctor Dialog. de claris Oratorib.*

ultro, aut ægrè ſaltem permittas, quod impetrari nulla ratione poſſet ab obſequio erga te meo. Nemo ſanè unus, VIR PRUDENTISSIME, meum hac parte conſilium minùs probabit, cùm non expreſſam viderit in fronte Libri, quod ab alio fortaſſis factum eſſet, poeticam aliquam, elegantemque Prudentiæ Imaginem; ſed verum quodammodo, nullique non probandum illius Exemplar: atque adeo una ab hac Operis Nuncupatione longè plura didicerit; quàm ab ipſa omni, quanta eſt, ipſius Didaſcalìa.



AD LECTOREM.



SEptimus agitur jam annus, dum Venetis typis impressum Opusculum istud de Prudentia prodiit, Didascalicæ Prolusionis titulum præseferens. At neque ultimam adhuc auctoris manum acceperat, Philosophicis in rebus tunc maximè occupati; et pluribus insuper scatebat Typographi erroribus, quos absens ille emendare minimè potuerat. Ut malo utrique, pro consilio amicorum, quoquo modo mederer, (quid enim hic Operis auctorem me ipse dissimulem?) severioribus a studiis ægrè tandem impetravi. Opus omne duos in Libros distinxi, quorum altero Prudentiæ naturam exposui, atque Officia; altero Vitia, sive Extrema, ut ajunt, ipsi opposita; et quæ studia præsertim, qui mores ad Prudentiam maximè

faciant. Frequentes ad hæc ſimilitudines præceptionibus ipſis inſerui, aliaque id genus multa, quæ materiam et per ſe aridam mollirent, et involutam quodammodo, ac repugnantem explicarent. Qua in re, ut nimius fortaſſe peritioribus, ac prolixior videri poſſum, et ſanè mihi ipſe videor; ita minùs ingratum, atque adeo profuturum magis adoleſcentibus me fore confido, quibus haud aliter ediſcendas Prudentiæ leges parare debueram; quàm [a] *pueris*, ut ajebat ille, *abſinthia tetra medentes cùm dare conantur &c.* Hac etiam de cauſa excuſabitur, nî fallor, ſtylus ipſe inæqualis ſubinde de induſtria: utque modeſtior plerunque in præceptis, ac ſimplicior; in exemplis tamen aut comptior fortaſſis, aut audentior. Quanquam, ut rem ingenuè fatear, alia in ipſo veriùs reprehendi poſſit inæqualitas; quippe quæ non prudenti auctoris judicio referri debeat, ſed aut ſtudio minori, aut ingenio. Hanc tamen ipſam, et ſiqua ſunt alia tum ſtyli, tum metri vitia, quæ plura fortaſſe, ac longè majora ſunt, excuſatum iri apud illos facilè crediderim; qui ſibi planè perſuaſerint Opuſculum a me iſtud, diverſa prorſus inter ſtudia, alieniſque, ut ita dicam, nedum ſubciſivis, ut ajunt, ac ſubſecundariis temporibus, magna ex parte elaboratum.

Cæte-

(a) *Lucret. lib. 1.*

Cæterùm, non tam ut fatear, quod ille tamen commendabat maximè, per quos ipse profecerim; quàm de Prudentia ne quid temerè dixisse videar, atque imprudenter: eos in rem meam consultos præ cæteris hìc volui, atque adeo veluti duces, ac magistros adhibui, quos doctissimi quique Moralis, ut dicunt, Philosophiæ Præceptores maximos habent; Aristotelem dico, ac D. Thomam. Horum ego in multis aut interpres quodammodo, aut παραφραστὴς, rem exponere aggressus sum periculi alioquin, atque invidiæ plenam: cùm præsertim, ut alios faciliùs prudentiam docueris, quàm habueris ipse; ita meliùs docere nemo fortasse possit, quàm qui habet. Quarè, ut curæ mihi præcipuæ fuit meas inter præceptiones hasce nihil admodum adscribere, aut commendare, quod non aut ab auctoritate, aut ab ipsa certè ratione probari posset; ita, siquid fortè excidisset mihi, quod prudentiori cuipiam minùs probaretur, næ illud ego aut indictum, irritumque malim, aut in eo tantùm sensu accipiendum, cui Sapientum plerique consentiant. Quid plura? Eam tandem, ut hoc etiam moneam, in adumbranda veriùs, quàm exprimenda, Venetis adolescentibus Prudentia, rationem, ac methodum adhibendam mihi duxi; quæ, sin minùs philosophica, aptissima sanè visa est, ut pulcherrima Virtus et intelligi facilè ab illis posset, et

amari. An id ego pro voto, ac ſtudio conſecutus ſim, *nec ſatis ſcio*, [a] *nec, ſi ſciam*, ut ajebat ille, *dicere auſim*. Tui hoc, Lector optime, ingenii eſt, atque judicii. Ut ab utroque haud parum mihi timendum ſit; ab ipſa ſanè prudentia, atque humanitate tua haud minus ſperandum.



PRU-

(a) *Liv. Dec.* 1. *lib.* 1.

PRUDENTIÆ

LIBER PRIOR.



ARGUMENTUM.

1.  *Rgumentum totius Operis, & Venetorum Patrum Invocatio. 2. Prudentiæ præcepta tenuiori versu tradenda; idque Musam præstare ægrè posse, quæ et argumentis assueta sit minùs severis, et stylo longè liberiori. 3. Prudentia Virtutes inter locum habet, tum quæ Mentis, ac Rationis propriæ sunt, et* Intellectuales *vulgò dicuntur; tum quæ spectant ad Mores, ideoque* Morales *nuncupantur. Harum ipsa princeps, ac veluti dux est, medium illis extrema inter Vitia ostendens. 4. Quàm arduum Adolescentibus subinde sit medium istud tenere; et quid illis interea faciendum, dum ætate prudentiores fiant, ne alterum in Extremum incidant. 5. Quid sit*

Prudentia, quas hominis actiones spectet, ac moderetur; et quòd esse nunquam possit sine virtute, atque honestate. 6. Dum Prudentiæ Partes, sive Officia explicare aggreditur, excusat obiter auctor, quòd Prudentiam doceat minùs ipse fortasse prudens. 7. Munus Prudentiæ primum, bene consultare; idque ut ritè fiat, atque opportunè, quid curandum maximè, quid cavendum. 8. Prudentiæ munus alterum, bene eligere; et quænam ad hoc inserviant. Quanti præsertim periculi sit deliberare, atque eligere, dum aut dolore afficimur, aut voluptate. 9. Munus Prudentiæ tertium, bene judicare, sive imperare; et quænam pro re, ac tempore in hoc maximè adnotanda. 10. Prudentiæ Fortuna plerunque comes; quamvis haud certò subjecta. 11. Quàm magni præsidii adversis in rebus Prudentia sit, Veneti satis ostenderunt funestissimo sibi tempore Cameracensis Fœderis.



Arma

1. ARma, Virosq;canant alji. PRUDENTIA nobis;
Invictos quæ prima viros facit, armaque Marti
Nunc auferre poteſt, nunc addere, viſa canendi
Materies. Vos Arctoi propè ſyderis inſtar
Eſte mihi inſuetum per iter, curſumque docete,
Adriaci Proceres, *Venetique* auguſta *Senatûs*
Lumina. Jam veſtris Prudentia cœtibus ultro
Prima ſedet, grandique parem ſibi nacta Magiſtræ
Gymnada, quod veſtro meliùs diſcamus ab ore,
Edocet; et *Veneta* PRUDENTIA major in *Urbe* eſt.
2. Hinc procul, excuſſis qui me trans nubila frænis
Præcipitem, nemorumve ferat per amœna vagantem,
Pegaſus exultans, criſtaſque indutus ovantes:
Hinc abſit procul, atque alios ſervetur in uſus.
Tam grandem vetat eſſe ſuum Prudentia vatem;
Ipſaque materies, ægrè contenta doceri,
Excludit phaleras, nec ſe cognoſcit in illis.
At contrà, facilis priùs, arridenſque vocanti,
Calliope durum Vatis jam triſtior audit
Propoſitum; et lætis jamdudum exercita nugis
Horret opus tetricum, detrectatque ore modeſto.
Nubilis haud aliter, (ſi fas mihi dicere) vocis
Hæret inops, animique, et vultu immobilis uno,
Filia; cui mollem ad ſpeculum jam fingere crinem,
Et capiti flores, et vultibus addere nævos
Aſſuetæ, et reliquo vix Matri cedere cultu,
Ipſius exemplo Matris, cultuque magiſtro:
Extemplo, heu! durus Genitor nil tale putanti
Aut nigrum in clatris velum, aut denuntiet album.

Nî velit ipsa; domi nunquam penetralibus altis
Exeat, et Patris nomen, vultumque relinquat.
Talis tristè mihi silet, invisumque recusat
Carpere iter; neque idem tamen audet Musa fateri.
Sed, quæcunque via est, certum est contendere, quò me
Jam Virtus dudum stimulis agit. Ipsa sequatur
Musa comes, nisi dux præcedere malit, euntem.
3. Quà rudis hinc hominum Mens, et qua prava Voluntas
Inde queat rectæ certissima discere vitæ
Dogmata, Virtutum geminus distinguitur ordo.
Has Intellectus (sic nostram dicere Mentem
Consuevere Sophi) ducto a se nomine donat;
Quippe suas, extraque ipsum nil prorsus agentes.
Morales illæ alterutra ratione vocantur:
Seu quòd per crebros ipsas Mos efficit actus;
Seu mores hominum quòd perficiantur ab ipsis.
Ipsa tenet geminam, Virtus utriusque Senatûs,
Dissimiles inter comites Prudentia sedem.
Sed tamen, ut gemini pars sit, plerunque secundi
Nomen habet cœtûs: cœtum quoque dirigit ipsum,
Totaque formandis Prudentia moribus instat.
Ipsæ adeo reliquæ, morum, vitæque Magistræ,
Virtutes illi auscultant, parentque docenti.
Quippe, licèt contenta suo Prudentia regno
Omnibus intactum jus, et sua cuique relinquat
Munera Virtuti, cunctas tamen ordine certo
Dirigit, atque adeo extremum dux inter utrumque
Ipsa viam signat mediam, et deducit euntes.
Nî vocem intentæ servent, dextramque monentis,
Exerrent medio; (medium tenet ardua Virtus)
Aut Scyllam hac subeant, aut illa parte Charybdin.
Usque adeo, nisi dux filum Prudentia præstet,
In

In vitium ducit vitio contraria Virtus.

4. Hoc primum moneo, hoc iterum monuisse juvabit,
O Juvenes; quorum minor experientia, quosque
Cæcus agit plerunque, et fræni nescius ardor.
Seu falsis blandâ Vitium spectabile formâ
Sensibus illudat, nec non ignota Voluptas
Sese illi adjungat comitem, et nova gaudia monstret;
Ilicet, heu! dexter nisi præcipitare paratos
Detineat Cœlo Genius, cursumque moretur,
Abripimur miseri: rupto velut aggere torrens,
Ingentemque trahens pecudum, nemorumque ruinam,
Exundat Padus, et latos circumtegit agros.
Seu contrà, qualis primos invitat amores,
Ipsa suo se se Virtus pulcherrima vultu
Exhibeat menti, et præcordia blandiùs intret;
Haud mora, protensis illam impatientiùs ulnis
Aggredimur, nimioque Boni peccamus amore.
Talis, Cecropios Ursus cùm repperit alvêos,
Huc avidos rictus, animamque effundit hiantem
Imprudens; neque Apum ultrices considerat iras.
Sic trahit indocilem nunc huc, nunc impetus illuc;
Non jam certa regit Ratio, ducitque juventam.
Vix pauci; quorum melior præcordia limus
Excipit, et præcox teneram Prudentia mentem,
Contra torrentem velis, remisque feruntur.
Ergo memor, donec veniat maturior ætas,
Majorum quisque emeritos interroget annos
Sæpius: hi medium, et, quæ sit via tuta, docebunt.
Sed jam agite, atque alacres, quamvis ætate minori,
Quid sit, quaquè homini Prudentia ab arte paretur,
Accipite; et vitæ præcepta adhibete futuræ.

5. Pars hominis princeps, et quæ fortasse vocari

Totus homo poſſit, Ratio (quis neſciat?) una eſt.
Hac ille excedens terras, et corpore major
Accedit Superis, et longè bruta relinquit.
Ipſa tamen Ratio, primi poſt crimina Patris
Se minor, atque animo ſenſus experta rebelles,
Errores contra, et pravi contagia cordis
Virtutem adſciſcit ſociam, ſeque inſtruit illâ.
Recta audit *Ratio* hinc Virtus: hinc, rebus agendis
Cùm reliquas inter comites Prudentia præsit,
Idcirco *recta* hæc *Ratio* appellatur *agendi*.
Aſt *agere* hoc ipſum, cujus Prudentia *recta*
Eſt *Ratio*, non res hominis complectitur omnes;
Humanos ſed quæ mores, humanaque ſpectant
Officia, atque adeo vitæ inſervire beatæ
Utiliter poſſunt, et quarum finis honeſtus.
Hinc, varia ſiquis præcellens Dædalus arte
Aut Cretæ fallax iter, ambageſque viarum
Extruat, aut liquidum ſecet aera remige penna:
Siquis Mygdonio vivos de marmore vultus
Ducat Praxiteles: ſiquem ſuper æthera tollant
Zeuxida deceptæ Volucres, pictique racemi;
Non hunc prudentem, ſed dicimus eſſe peritum.
Nec magis hac illum inſignem virtute fatendum eſt,
Cui vis ingenii, et cautæ ſolertia mentis
Turpiter in Venerem, aut lucrum ſtudioſa laboret:
Vel cui laudis amor, victique potentior hoſtis
Gloria, mille dolos, atque artes mille nocendi
Suggerit, et magnam Ambitio dat provida mentem.
Hos, equidem fateor, ſtolidæ vox inſcia plebis,
Illuſtres falſo prætendens nomine culpas;
Virtuteſque inter fortunæ dona reponens,
Prudentes vocat, et magnis Sapientibus infert.
Sed

Sed rudis errorem vulgi, cæcumque refellit
Judicium Natura suo, et ratione magistra.
Nulli præstat opem Vitio Prudentia. Quod si
Degener aut Vitii comitem, aut agat ipsa ministram;
Illius in mores paulatim, et nomina transit,
Non jam animo, at solo fallax Prudentia vultu.
Hoc mihi præcipua servandum mente videtur,
Idque libens moneo; ne, qui tot decipit, et nos
Alliciat color, ac Virtutis imagine fallat.
Spectandum semper, quò mens collimet, et unde
Mens agat: hinc Vitium, aut Virtus. Reliqua omnia, tantùm
Materies operis sunt, instrumentaque Agentis.
Hinc et Prudentem sua semper ducit honestas,
Quidquid agat; neque agit quidquam, nisi ductus ab illa.
6. His animadversis, quo se Prudentia sensu,
Quoquè modo *rectam Rationem* præstet *agendi*,
(Idque opus, is labor est; nam quædam haud posse latinè
Musa cani dudum inclamat) jam dicere tandem
Aggredior; veniamque mihi pro laude paciscor.
Forsan at hìc aliquis, cui longo ego cognitus usu,
Rideat audentem peregrinæ tradere leges
Virtutis; dumque inde mihi me comparat, atque hinc,
Aut me præceptis nequicquam exquiret in istis,
Aut mea præceptis facta idem damnet in istis.
Quid referam hìc, aut quo dubius me tramite vertam?
Nempe haud cuique datum est facili pertingere gressu,
Quem sublimem oculis potuit conscendere montem.
Exempla ex aljis, ex me documenta referte.
Quid deceat, quid non, moneo: ceu saxeus index
Signat iter, monstratque aljis, immobilis ipse.
Quanquam nescio quos in me simul excitat ignes,
Dum canitur, fingitque suum Prudentia vatem

Paula-

Paulatim erudiens, et ab illo discit amari.
Hæc etiam nostri merces, pretiumque laboris.
Sed jam longa mora est, et nos via longior urget.
7. Ergo eadem triplici, ut perhibent, Prudentia fungi
Officio solet, atque omnem se ostendit in illo.
Principiò, certum ad finem quæ ducere possint,
Consultat *Media* expendens; (*Media* ipse vocabo,
Cùm dixisse *Modos* rem non satis explicet; et fòrs
Nomen utrumque ad rem non sit satis usque latinum.)
Sæpe autem *Media* id generis quamplurima menti
Occurrent; sed quæ non ipsi cuncta probentur.
Hæc studium poscunt per se satis obvia nullum;
Ast eadem minùs apta, et quæ manet exitus anceps.
Illa magis certa, at contrà nimis ardua; nec quæ
Ipsa suo speret tandem superanda labori.
Utile proposito, si non pugnaret honesto,
Id foret: hoc rectum, sed idem minùs utile voto est.
Cætera de genere hoc oculo sic illa sagaci
Explorat turba in magna, atque aptissima discit.
Ac veluti (exemplis liceat popularibus uti)
Fœmineas inter, quas mittit Sequana, merces
Dum nurus explorat, quæ fronti rectiùs extent,
Sive comas, seu, quæ longè supereminet illis,
Compagem petasi, vel, cujus nescio nomen,
Partem aliam ingentis cultus, formæque secundæ:
Intento nunc has studio, nunc inspicit illas,
Nunc aliis confert alias, nunc damnat easdem,
Nunc probat, inde alias oculis interrogat omnes;
Nec jam certa satis, si quas habet usque repostas
Allobrox, jubet apponi, tum comparat illis
Appositas: (tanti est emptæ pars tantula formæ)
Haud aliter veris adhibet Prudentia rebus

Consi-

Consilium, et longo dubias examine pensat.
Sin autem *Medium* ad finem vix suppetat unum;
Tum verò haud dubiam rationem exquirit, ut illud
Utilius fiat, nec spe frustretur inani.
Sic, cui sola via est, trepidam qua tendat in arcem,
Infestas inter turmas, inimicaque castra;
Fingit agens aliud, securaque cogitat hosti
Tempora, et intento gressum molitur ab astu.
Hìc verò paucis semel admonuisse juvabit,
Prudentes quod ritè docent, rerumque periti.
Ut magnam poscant mentem, ingeniumque requirant
Fecundis aptum inventis, prægrandia rerum
Consilia; at nimium morosæ mentis acumen
Consiliis nocet, humanisque in rebus ineptum est.
Scilicet aut facilem inveniunt subtilia quædam
Ingenia in scirpo nodum, et nihil inde probatur:
Aut gracili aerias texunt subtegmine telas,
Et Phrygiâ distinguere acu ambitiosa laborant.
Nec meliùs Pallas, meliùs nec pingat Arachne
Pulchrum opus; at visu solùm, et mirabile dictu.
Hos, aliis porrò in studiis plerunque sagaces,
Consuluisse viros prohibent in rebus agendis
Experti rerum, et quibus est prudentia major.
Ergo illos Sophiæ in dubiis, studiisque Minervæ;
Hos idem contrà tu consule, siquid agendum est,
Quod certam rerum praxin, moresque requirat.
Nec verò ipsorum mentem immemor, oraque temnas;
Idque, licèt videare tibi prudentior ipsis.
Nec, quod prima sui menti commendat imago,
Protinus id placeat; nec menti protinus illud
Displiceat, quod prima sui condemnat imago.
Subdola res rerum species, primumque subinde
Obtu-

Obtutum eludit color. Intus, et in cute nosci
Ut possit, curas res postulat usque secundas.
Inde fit, ut lento gravior Prudentia passu
Incedat, longùmve sedens iter antè futurum
Exploret. Sic Romani vicere sedendo;
Sic Veneti, quorum major Prudentia, Patres.
Ne tamen, ah! factis nimiò mora longior obstet
Grandibus, atque rei sinat opportuna gerendæ
Tempora dilabi. Fugit irreparabile tempus,
Inque mora haud rarò lacrymandi causa pericli est.
Hinc, Latio secum longis certante Senatu
Consiliis, Pœno eversum oppugnante Saguntum;
Speratumque diu longa obsidione coactis,
Victis subsidium ridemus inutile Pisis.
8. Quare festinet lentè, properèque moretur
Consultans de re Prudentia qualibet; inde
Eligat: hoc illi munus vult esse secundum.
Scilicet exclusis, quæ non invenerit ad rem
Apta, vel apta magis, *Mediis* e pluribus illud
Seligit, inque suos Prudentia destinat usus,
Quod reliquis præit, et cui dat victoria palmam.
Sic, postquam indicto prudens examine Præsul
Audiit Officii cupidos majoris alumnos,
Consuluitque simul docti suffragia cœtûs;
Quem clarum ante alios meritis, onerique ferendo
Vota parem plura exponunt, ex omnibus illum
Eligit, et sacri titulo largitur honoris.
Sin autem *Medium*, ut dixi, vix suppetat unum,
Quo sibi propositam teneat Prudentia metam;
Nempe legit tunc ipsa modis e pluribus illum,
Certior unde fides *Medio*, et fiducia major.
Tale quia et brutis prudens Natura videtur
Consilii,

Conſilii, et partem mentis largita ſagacis.
Aſpicis, ut trepidum, pedibuſque, et naribus acer,
Dum Cervum longè inſequitur, Leporemve Moloſſus:
Si fortè occurrat, quæ ſe via dividit anceps
In trivium, & curſus dubios ignota moretur;
Ilicet ille viam hanc olfactu explorat, et illam,
Utra, petens, noti referat veſtigia odoris.
Quod ſi neutra refert; certus, qua parte ſequatur
Sublatam ex oculis prædam, non conſulit antè,
Sed mox urget iter, quâ tertia ſemita ducit.
Sin autem, inſtantem ut cædem, propiùſque prementem
Eludat, cautum obliquo fera tramite curſum
Convertit; Canis inferiùs (mirabile dictu!)
Flectit iter, mediæ ſuperans compendia ſepis,
Anticipatque viam, et victo ſuperimminet hoſti.
Quid non humani feliciùs eligat uſus
Ingenii, ſi tanta ſubeſt prudentia brutis?
Id verò ut fiat rectè, ac diſcrimine nullo,
Artificis primò felix induſtria mentis;
Tum ſolers uſus rerum, mens altera, præſtat.
Quin varios hominum mores meminiſse juvabit:
Quid placitum juveni, quid amet robuſtior ætas,
Quid ſenibus lubeat. Non omnia poſcimus omnes.
Nec minùs expediat, quos nobis vincere cordi eſt,
Ingenium noſſe, et quæ ſit ſua cuique voluptas.
Ipſa etiam nobis audita, aut lecta recurrant
Exempla: exemplis meliùs plerunque docemur.
Scilicet aut noſtro, aut aliorum errore magiſtro,
Diſcimus admoniti rerum; eventûſque futuri
Præteritis ſenior rationem reddit ab annis.
At, licèt hæc adſint, licèt adſint plura; Voluptas
Si non ex animo procul, et Dolor anxius abſit,

Heu!

Heu! rectam frustra speret Prudentia mentem.
Quippe vafras olli tenebras offundit uterque
Cæcus, et erroris causas prætendit amici.
Quis matrem, cui pulcher Hylas, aut dulcior illo
Iphigenia domi est: an proles debeat aris
Mactari, (Patriæ id casus, et Numina poscunt)
Consulat? Ah! Civis sensus, et publica vincet
Prolis amor fata, et melior se judice mater.
Ipsi Cecropidæ, justissima pectora, Patres
Infidam thalamo, et Danais, Asiæque ruinam,
Absolvant Helenen; si præsens ore refellat
Objectum scelus, et facies incesta peroret.
Talia turbatæ metuenda pericula menti,
Cùm non officio, sed longo optata dolori,
Ultio deligitur: nihil est jucundius illâ.
Talia jus, et amor regni, magnique cupido
Imperii metuant; si quando sæva minorum
Consilia armatis flammasque, irasque ministrant.
Martius hinc sæpe effusis bacchatur habenis,
Cuncta ruens latè, Furor: hinc comitantur, et illinc
Læta Latrocinia, et miseris Incendia campis
Jussa palam, ac sævæ, Belli decora inclyta, Clades.
Et tamen, heu! quantum irarum, scelerumque caveri;
Quàm latè undantes lacrymarum, et sanguinis amnes,
Christiadûm decori, et melioribus usque triumphis
Prædonem in Lybicum, ac Geticum potuere Tyrannum
Servari: quot adhuc nobis feliciùs arces,
Insontesque suis starent cum civibus urbes;
Si, nova dum premeret flagrantia corda cupido,
Fortior obstâsset Ratio, spatiumque dedisset
Obnitens contrà, dum vires illa remittit
Paulatim minor, ac mentem placabilis audit!

Ergo

Ergo Voluptatem longè, longèque Dolorem
Amoveat; vel, dum perstant in corde, suumque
Eripiunt mentique diem, rebusque colorem;
Nil legat, et nitidum expectet Prudentia Cœlum.
9. Tertia sed jam me, quæ Græco nomine *Gnome* est,
(Altera nam *Synesis*, prima *Eubulia* vocatur)
Pars vocat: extremum hoc sibi vult Prudentia munus.
Judicium appellant alii, pars maxima dicunt
Imperium; meritòque potest utrumque vocari.
Qualis nempe, gravem longo cùm tempore Minos
Impendit mentem discussæ ex ordine causæ;
Inde jubet, quidnam velit actum, remque, modumque
Præscribit; jamque exequitur data jussa minister:
Talis agendarum judex Prudentia rerum,
Consilii jam certa, expensi et lance sagaci
Usque tenax *Medii*, magno jubet ocyùs omnes
Admovisse manus operi, quoscunque ministros
Huc ciet, et laudis vocat, in partemque laboris.
At, quod opus factu est, si fortè silentia quærat,
Alteriusque manum excludat, sociumque laborem;
Judicis haud raró partes agit, atque ministri,
Aggrediturque manu, quidquid sub pectore versat.
Jam verò, seu res comites facienda requirat,
Sive eadem excludat: quidquid Prudentia certi
Constituit, licèt opportuno tempore agendum,
In primis caveat, ne differat. Optima sæpe
Consilia eventu rerum frustrantur amico;
Nî mox exequitur certam manus impigra mentem.
Inde etiam invaluit vetus illud: *Consule lentè*,
Ociùs exequere: audacem sic esse juvabit.
Ipse adeo Magni victor, Patriæque subactæ
Julius imperio major, si prospera Martis

Spes vocet, et retro ventos, et tarda relinquit
Fulmina. Læta Duci Victoria passibus æquis
It comes, et ponè innumeras fert Gloria palmas.
Atque utinam talis meliori dextera causæ,
Talis pro Patria mens olli impensa fuisset!
Heu! quantos contrà belli mora longa triumphos
Perdidit! Heu! quoties facta ad memoranda paratum
Clausit iter tardæ sterilis sententia mentis!
Nec tantùm ignavi: prudentes hìc quoque peccant
Ambigui plerunque. Vident meliora, probantque;
Sed dubitant, et adhuc hærent: seu frigidus humor,
Seu timor in causa est; sed qui magis ipse timeri
Debeat. Hos nunquam, nil magni audere paratos,
Ut caveant adversa, manent felicia fata;
Privatosque decet tuta requiescere in umbra.
Par culpa illorum est, qui, quanquam mente sagaci
Decernant; quanquam firmo quoque pectore fixum
Præcipiant, quod longa velit Prudentia factum;
Haud tamen advigilant rebus satis usque gerendis,
Contenti jussisse; omnemque impune relinquunt
Curam aliis, quid agant alii, dignoscere segnes.
Quid formam egregiam, et domui cæmenta futuræ
Instruere, ac longè accitos conducere fabros,
Immanesque operi jam cœpto addicere sumptus
Expediat; si securum domus altera longè
Detinet, et somno dominum, ludoque vacantem?
Nempe Operæ tunc desidiâ dominique, suâque
Ignavæ stertent; et, crescens arboris instar,
Vix domus accipiet seros habitanda nepotes.
Ergo operi instantes famulos præsentia Turni
Urgeat: ipse frequens etiam vocemque, manumqne
Impendat, nulli sat credulus. Inde futuri
Certa

Certa fides operis, nec magna mente minoris.
At non propterea, nisi præsens urgeat usque
Discrimen, differre vetat Prudentia rerum
Judicia. Ipsa dies aliquid fòrs suggeret illis
In melius; fòrs ipsa dies diversa reponet
Judicia, inverso mutatis ordine rebus.
Quid quòd et expectanda diu sunt mollia rerum
Tempora? Quid quòd prudentes decernimus antè
Temporibus quædam meliùs facienda futuris?
Sæpe etiam fecisse nihil pars magna negotj est,
Cautaque momentum rerum sunt otia primum.
Sic, quos nec ferrum, nec amaris pharmaca succis,
Sola quies morbos, et victûs regula curat.
Has, similesve moras, mentis novisse sagacis;
Posse pati, cæcumque rudis contemnere vulgi
Judicium, magni est animi. Ne vos morer ultrà:
Romanam Fabius cunctando restituit rem,
Dum victor mavult committere prælia Pœnus:
Idem dum victus detrectat prælia Pœnus;
Auxit Romanam pugnando Scipiades rem.
10. His demum exactis lætum Prudentia fatum,
Eventumque potest rerum sperare secundum.
Si votis tamen adversæ vis invida pugnet
Fortunæ; (campi hæc Domina, et rerum arbitra fallax
Consilio haud semper, sanæque obnoxia menti est)
Haud ideo facti pigeat, pudeatve sinistri
Successus; neque enim hic, certa ut contingit in arte,
Exitus acta probat: satis est ratione probari.
Hinc mea laudari, quamvis Fortuna repugnet,
Facta velim; sed enim menti plerunque sagaci
Subdita Fortuna, et major Prudentia fato est.
11. Nec mihi jam veterem hìc Romā, Latiumq; Senatum

Consulere, externosque opus est producere Reges.
Ipsa sibi argumentum ingens Respublica vestra est,
Exemplumque aliis, quo non præstantius ullum:
Rebus in adversis quantùm Prudentia possit.
An non Adriaci excidium, manifestaque clades
Imperii, et nunquam victæ suprema timeri
Fata Urbis potuere; omnes viresque, manusque
Europæ in Venetos tacito dum fœdere junxit,
Securos meditans, Cameracum, in pace triumphos?
Hinc validas, atque hinc ipso cum Cæsare mittit
Euganeos intra fines Germania turmas,
Aggrediturque urbes: Aquilas simul invehit intra
Mœnia pacifico dudum regnata Leoni.
Inde viris, animisque ferocem Insubria Gallum
Effundit campis; tum latè plura minantem,
Audentemque comes Fortuna, atque Abdua, nomen
Infaustum Veneto, trepidas deducit in arces.
Quid quòd et extremo Italiæ se littore Iberus
Exerit extemplò infensum; quæquè oppida pridem
Abstulerat votis, nunc aufert providus armis?
Quid memorem, ante alios ut vires exerat omnes
Ipse suas, addatque suas ut viribus iras,
Julius, invisæ memor, impatiensque repulsæ?
Quin et finitimi, ne nullum sentiat hostem
Adria, conjurant Proceres, Regesque minores,
(Tantus amor prædæ) ac magnis se Regibus addunt:
Ingentem ceu cùm Taurum invasere Molossi,
Ipsi etiam erumpunt latebris impune catelli
Latratu circùm audaci, lambuntque cruorem:
Heu! quid agat; quò se Respublica vertat in arctis
Rebus inops; quos jam Reges exoret amicos?
Partem olli timor, et partem ferus abstulit ensis
Militiæ;

ſilitiæ; nec jam pretio reparabile damnum eſt.
Illi ſubjectas hoſtis dominatur in urbes,
Et tota paſſim victor regione vagatur;
Atque ipſam, caput Imperii, penè obſidet Urbem.
Sola tamen Venetis, Fortunâ major iniquâ,
Militat, atque hoſtes Prudentia pugnat in omnes.
Hæc ſtantem adverſos inter Spem ſuſtinet ictus,
Conſiliumque, animumque, et vires inſuper addit
Ignotas; ſua mox Fortunam in caſtra reducit
Paulatim recti memorem, nec jam ampliùs hoſtem.
At non, illa tamen vel dum deſævit, honeſti eſt
Cura minor, vel laudis amor. Stat gloria cordi
Tunc quoque, degenerem mercari neſcia pacem.
Hinc centum lectas equitum, peditumque phalangas,
Venturum bello auxilium quas exhibet ultro
Thracia, tunc duros Veneti miſerata labores;
Ipſe tamen, non his ſociis, nec talibus armis
Audax laudatam Cœlo defendere cauſam,
Reſpuit, atque ſuo ſe tantùm jure tuetur.
Uſque adeo dux ambigui Prudentia Martis,
Tot contra validos diverſis partibus hoſtes,
Incolumem potuit Romam ſervare ſecundam;
Et dominam latè imperio extendiſse recepto.



PRUDENTIÆ.

LIBER ALTER.



ARGUMENTUM.

1. *UT eam quis Prudentiam consequatur, cujus naturam, atque officia descripsimus, suis ipsi in studiis, ac moribus vitanda plura, plura procuranda. Ut hæc etiam versibus exponat, languentem jam Musam, ac repugnantem Auctor hortatur.* 2. *Fundamentum Prudentiæ præcipuum Natura; et qualis hæc esse debeat in viro maximè prudenti.* 3. *Quàm cæteris excellant hoc naturæ beneficio homines Itali; et hos inter Veneti.* 4. *Nonnullæ ad Prudentiam addiscendam Regulæ: earumque præcipua, tum eos libros sæpius evolvere, in quibus et moralia hujusmodi præcepta continentur, et illustria maximè referuntur virorum prudentium exempla; tum eos expendere subinde, atque consulere*

viros hac laude insignes, quibus cum vivimus. 5. Regulæ aliæ: illud in dubiis eligere, quod alteri maximè amico in re haud absimili ipsi nos consuleremus: et cavere ab immoderatis affectionibus animi, in iisque ab amore præsertim; cùm Temperantia jure, ac meritò dicta sit apud Græcos conservans Prudentiam. 6. Quænam dici possint, et quæ re vera sint apud Philosophos Extrema, seu Vitia Prudentiæ opposita. 7. Calliditas, sive Astutia; ejusque mores. 8. Stoliditas, sive Simplicitas; ejusque ingenium. 9. Viros cæteroquin prudentes in alterum subinde Extremum seu naturâ, seu vitio inclinari. Hos inter describuntur nonnulli, verbis quidem officiosi quàmmaximè, at factis plerunque falsi. Ut rectà iidem a Prudentia, nedum germana ab humanitate, atque amicitia, longissimè aberrent. 10. Simpliciores alii, ac minùs providi, dum suas ipsi laudes confidentiùs prædicant. Cavendum illorum exemplo, ne quid nobis nostris de rebus gloriosius excidat, atque adeo imprudentius. 11. Ne quis plùs æquo fidat Prudentiæ suæ; et quod citra pietatem, ac Dei timorem, præpostera Prudentia sit, et maximè fallax. 12. Operis Conclusio ad patritios Adolescentes Venetos.



1. Quid sit, quam socias inter PRUDENTIA sedē
Virtutes teneat; quæ rebus præstet in ipsis
Munera, Calliope, (nec te labor iste peremit)
Qualicunque tibi jam tandem carmine dictum est.
At, fieri prudens, aliquis, qua possit ab arte,
Ulteriùs scitatur; et hæc cupit antè doceri:
Quid vitet potiùs, quid in ipsis sedulus idem
Moribus, et studiis curet; quibus arceat hostes
(Namque suos etiam Prudentia pugnat in hostes)
Consiliis alios, alios quibus opprimat armis.
Hæc, et plura simul Prudentem scire necesse est.
Ergo age, perge libens, superest quodcunque laboris,
(Nam superest aliquid) jucundo fallere cantu.
Idem cantus erit labor, auxiliumque laboris.
Quid mihi mœsta siles, torvùmque aversa tueris,
Calliope; et malè jam lacrymis trepidantibus iram
Dissimulas, jussumque negas deducere carmen?
Nempe rudi tractas, et surdo pollice plectrum:
Ignotum Pindo plectrum, quodquè horrida tantùm
Porticus, et durus queat exercere Cleanthes.
Nulla adeo inviti tibi laus speranda laboris;
Forsan et ingrati pudeat te deinde laboris.
At quantò de te major mihi causa dolendi est!
Annè semel tantûm, cùm me tam sæpe vocares
E Pindo puerum, (neque enim meminisse negabis)
Obrepsi sævum in montem metæque, viæque
Ignarus, tuaque ut possem vel nocte maligna
Jussa sequi, cœnam imprudens, somnumque reliqui?
Annè semel tantùm vivos mihi nescius ungues
Arrosi,

Arrosi, quoties mordax urtica canendi
Ad citharam, studia oblitum graviora, trahebat;
Nec tamen optati pandebas ostia rivi,
Et noto vati, et vati Dea surda vocanti?
Cur non, qui memet rigido tuus usque Lyceo
Subripio toties, semel extra mollia Pindi
Mecum adsis paulisper; et ausis grandibus instes
Mascula jam virgo, curasque exosa minores?
Sed jam age, rumpe moras: quid adhuc timor anxius obstat?
Materies operi veniam dabit, ipsaque forsan
Forma Sophos possit meritò sperare faventes.
Quin, ultro, viden', ut plaudant, animosque canenti
Sufficiant, quod adhuc superest, audire parati.

2. Ut non omne solum fruges, non omne ferendæ
Admittunt vites, neque humus fert omnia quævis;
Haud aliter cuivis ægrè Prudentia menti
Inseritur, curamque inserta eludit inanem.
Sæpe reluctatur duro natura labori
Improba; vel, siquid longæ respondeat arti
Culta diu, tamen in vitium memor usque recurrit.
Sæpe etiam externis frustratur semina causis
Mutari facilis; tristique obnoxia Cœlo
Surgentem extinguit segetem, spemque uberis agri.
Optandum est, ut non præceps, obtusave mens sit,
Credula nec nimiùm, nec quavis mobilis aurâ.
Quin eadem longè aspiciens, speciosaque veris
Sejungens, ipsumque sagax dignoscere verum,
Quodquè illi simile est: nihil hoc nocet acriùs illi.
Tum certi, rectique tenax; at conscia falli
Se posse, atque adeo facilis ratione doceri,
Mutarique etiam: neque enim Constantia semper,
Nescia mens flecti est, et habet quoque cedere laudem.

Ta-

Talem magna ſibi poſcit Prudentia mentem,
Tali radices agit, et lætiſſima ſurgit;
Privatos regat ut mores, et publica fata.
3. Hanc tibi, dum veteris tranſgreſſa eſt gloria Martis
Subjectos olim in populos, Prudentia laudem
Servat adhuc, victus longum cui paruit Orbis,
Auſonis ora; tibi nec, quæ Sors invida priſcum
Abſtulit imperium, hoc etiam decus auferet unquam.
Ut vincant alii ferroque, atque ignibus arces;
Judicio tu prima animos, et pectora vincis.
Ut tamen hoc Itali præcellant nomine; cunctos
Excellunt Italos Veneti, gens inclyta Mundo
Pondere conſilii, et ſolertis acumine mentis.
Quippe illis docilem, et vinci ratione volentem
Effinxit Natura animum; rerumque capacem
Canitiem cordis primis impreſſit ab annis.
Quid non his ſtudium civile, uſuſque magiſter
Dotibus ingenii, præclaraque indole poſſit?
Hinc regere imperio populos, et legibus urbes,
Diverſaſque ſuo norunt ſubmittere gentes
Arbitrio; bellique ſimul, paciſque ſequeſtri,
Conſilio ſæva arma ſuis a finibus arcent,
Conſilio, (ſiquem longo fata aſpera bello
Dent finem; ſi pax tandem ſperabilis orbi eſt)
Conſilio et reliquos jungent in fœdera Reges.
Uſque adeo ſe ſe primum Prudentia debet
Naturæ: juvat hanc, at non induſtria ſupplet.
4. At, ſiquis tamen eſt (neque enim ſat fertilis omni
Parte ſui Italia eſt) fato ſortitus iniquæ
Triſte ſolum mentis; ſtudio nil lentus, et illud
Arte colat. Quid non ſtudio debemus, et arti?
Ipſa etiam in fruges ſterilis manſueſcit arando
Paula-

Paulatim tellus, atque audit vota coloni.
Ergo memor, si te Prudentis gloria tangit,
Sive minor, seu major erit tibi copia mentis,
Excole. Multa dabit certas tibi lectio leges;
Et meliùs, quid agas prudens, exempla docebunt.
Inde manu pretium est operæ versare frequenti
Doctorum scripta, et veterum monumenta virorum:
Seu quibus exacti Sophiæ ad præcepta sagacis
Formantur mores, certamque ostenditur omnis
Ad vitæ normam pretium virtutis, et usus:
Seu quibus Heroum, quos nulla haud prædicet ætas,
Narrantur passim illustres moresque, manusque,
Et virtus, vitæ casus spectata per omnes.
Atque utinam, rerum steriles quas projicit horas,
Nunc sexum imbellem meditans, imbellior ipso,
Nunc fictas acies, commissaque prælia nunquam
Sæpius evolvens, oculisve errantibus ultro,
Seu quid agat, seu ne quid agat, per compita quærens,
His mallet florens ætas impendere chartis!
Hìc inter plura humanæ discrimina vitæ
Sæpe suos legeret casus, artemque ferendi.
Hìc modus in lætis, animusque in tristibus idem,
Consilium in dubiis; Odiumque occurreret illi,
Atque Amor, et patiens sua quævis fræna Cupido;
Fræna tenet Ratio, simul audit currus habenas.
Quis non hæc oculis relegens, animoque revoluens,
Virtutem Heroum insignem miratur, et ardet;
Induit et similes habili jam pectore mores?
Talis, Pellæi tacitos in imagine Martis
Dum figit vultus, et secum grandia Cæsar
Paucis facta refert, et adhuc iuvenilibus annis;
Dat gemitus corde ex alto, et se comparat illi
Se-

Segnitiem increpitans longam: ſimul æmula virtus
Exemplo ſtimulos addit, ducitque volentem
Terrificam ad laudem, et ſævi decora alta Gradivi.
At non viva minùs ſtimulis ingentibus urgent
Exempla, et viſæ inſpirant virtutis amorem.
Ergo, felicis ſiquem tibi munere fati
Moribus inſignem, et maturæ pondere mentis,
Fabritium agnative lares, patriive penates
Exhibeant; hunc tu vita ſtudioſus in omni
Addiſce, ac tanto dignum te finge magiſtro.
Præterea, quoties tibi fòrs occurrat agendum
Grande aliquid, dubiique ferens incommoda ſecum
Eventûs, certam illius tunc conſule mentem.
Ipſe, quid expediat, jam longo doctus ab uſu,
Inſpiciet meliùs; tutoque in tramite ſiſtet
Incertum, et monitis iter inſtruet omne futuris.
Tu monita auſcultes bonus, et ſervare memento,
Tanquam miſſa tibi ſacris oracula Delphis.
Ah! quoties; cauti levior dum verba Magiſtri
Troſſulus irridet, ſuaque ipſi dira cupido
Fit Deus, illam audit miſer, illam interrogat unam;
In præceps mox lapſus opem imploravit inanem,
Et ſero agnovit veras in funere voces.
Talis Lydorum Princeps ditiſſimus olim,
Reſpicere extremæ fruſtra ſpatia ultima vitæ
Admonitus; regno, atque opibus ſpoliatus avitis,
Feralique pyræ impoſitus, dum ſubditur ignis,
Non auditurum ſuprema voce vocavit,
Jam non auditum fato meliore, Solonem.
Tanti eſt conſulere expertos, et credere canis.
5. Illud præterea dubiis in caſibus, abſit
Si fortè aut ſenior Chiron, aut ſanus Achates,
Prode-

Proderit: experto certè mihi profuit illud.
Finge tibi, quòd te dubius roget alter eadem
De re consilium: quid tunc, ratione magistra,
Consuleres caro Pylades meditatus Oresti?
Id tibi, crede, freto si fortè vagaris eodem,
Expediat: tua te mens consulat ipsa, tuoque
Utere judicio, ceu non tua causa geratur.
Sed talem præstare suis res ardua mentem:
Rebus in alterius meliùs plerunque videmus.
Scilicet aut oculos velat sua cuique cupido,
Ne videat meliora; aut, ne meliora sequatur,
Innectit laqueos animo, placitasque morandi
Prætendit causas. Cedit tunc mente voluntas
Invitâ; si mens olli tamen ulla superstes.
Ut ratis, amisso jactata per æquora clavo,
Abripitur cursu indocili, quò ventus, et unda
Cæcam major agit; nec vanæ obtemperat arti:
Sic animum trahit, excussa jam mente, minorem
Fortior, atque omni jam victrix parte Cupido,
Heu! frustra tunc tota suas Prudentia leges
Exerat, et velis frustra, remisque laboret.
Majorem res poscit opem, majoris eget res
Usquè manûs; Numenque manum nisi præstet amicam,
Haud valeas certam rebus sperare salutem.
Ergo cave, ne stantem unquam tibi flectere mentem
Possit Amor: reliquos animi sub pectore motus
Vincit Amor, causasque illis, viresque ministrat.
Molliùs ingreditur, nec quidquam tale minatur
Principiò; sed paulatim per viscera serpit
Dulce malum, gliscitque furens, uritque medullas.
Tum verò, jam non amor, at furor, omnia vertit;
Jam latè vagus excurrit per fasque, nefasque,
Nec

Nec Superos flecti indocilis, nec Tartara curat.
Principijs prudens obsta: nisi sedulus obstes
Principijs, feram amittet Prudentia curam.
At cur hæc toties repeto, et jam dicta repono,
Durior, ah! nimiò tenerorum censor amorum?
Scilicet, ut recto nunquam Prudentia cedat
Tramite, et invicta solidas ferat indole vires,
Olli præcipuè præstat comes addita Virtus,
Lege voluptatum rigida quæ temperat usum,
Inde et nomen habet. (a) Sed vero non minùs ipsam
Nomine, prudentisque animi, mentisque sagacis
Conservatricem, Graij dixere priores.
Hinc eadem repeto, et toties jam dicta repono,
Ah! nunquam satis in teneros crudelis amores.
6. Ast, ea nunc tandem quæ sint Extrema, requiras;
Intra quæ certos figit Prudentia gressus
Cautior, et medio vestigia tuta relinquit.
Hæc tamen occurrent memori satis obvia menti;
Si recolas, quænam, ut dictum est, in rebus agendis
Ipsa ex officio Prudentia præstet, et illis
Quæ pugnent adversa: hæc namque Extrema vocari
Et possunt, hæc et debent Extrema caveri.
At, quando binis tantùm diversa laborat
Quælibet extremis Virtus: quo nomine dicam,
Inquiras rursum, Vitia, et quid singula præstent;
Quorum ùnum interior dextrûm Prudentia, lævum
Alterum habet, sibique infensum declinat utrumque.
Hanc ego præcipuam, præceptaque multa ferentem,
Partem operis nunc expediam; mox carbasa vento
Fessa traham, atque alacrem deducam in littore puppim.

Ut

(a) *Apud Græcos* Temperantia *dicitur* σωφροσύνη; *hoc est conservans Prudentiam*. Arist. Ethic. lib 6. c. 5.

Ut fòrs non eadem ſedeat ſententia menti
Omnibus, et doctos lis in contraria cœtus
Diſtrahat, (in multis fieri quod ſæpe videmus)
Ipſe tamen trito, ut perhibent, pleriſque Sophorum
Optatam ad metam veſtigia tramite figam;
Nec falli pudeat tam magna exempla ſecutum.
Ergo, nî rectè caveas, peccabis utrinque;
Hinc mentis vitio, hinc animi. Plus criminis iſtic,
Plus erroris ibi eſt: medio tutiſſimus ibis.
7. *Calliditas*, ſeu, ſi mavis, *Aſtutia*, majus
Crimen habet. Propiùs fallax accedit ad ipſam
Virtutem cultu, atque habitu, et vult ipſa videri.
Sic oculos, ſic illa manus, vocemque, coloremque,
Illius et mores fingit; fòrs comptior illâ eſt.
Tu tamen, ah! vafro facilis ne crede colori.
Expendas animum: quamvis invitus, in ipſo
Emicat hic vultu, nec totus fallit in illo;
Ipſaque, ne lateat, ſæpe obſtat cura latendi.
Qualis, ubi, quæ vult nimiùm formoſa videri,
Solliciti ſtudium ſpeculi, longamque placendi
Curam præſefert; (ſi doctis credere dignum eſt)
Tunc minùs illa placet, minùs et formoſa videtur:
Talis Calliditas, dum vult Prudentia credi,
Artis opem perdit nimia prudentior arte.
Illius at mores, et veros accipe vultus;
Præcipuè quibus illa modis, quibus artibus illa
Virtutem excedit mediam, exteriorque relinquit.
Ultrà, quàm Ratio ſinat, aut quo tramite Honeſtas
Ire vetat, tacitis circùm defenſa tenebris
(Seu lucri jubeat, ſeu regni dira cupido)
Calliditas ſtudet ire; neque huc tamen ire videtur.
Hic primus labor illi, hæc illi maxima cura eſt.

Hinc

Hinc comites olli Technæ, Fraudesque, Dolique,
Argolicæque artes, et nunquam verus Ulysses,
Fido adstant lateri. Stant altâ mente reposta
Consilia, et bifrons abscondit pectora Janus.
Hinc illi obliquum est iter, ambagesque viarum
Innumeræ; qualis Creta jam textus in alta
Tramitibus cæcis, et inobservabilis Error.
Hæc, aliis ignota, placet via. Consule filo
Inde putat, quando illius data copia nulli,
Calliditas certam meliùs contingere metam.
Ipsa tamen plerunque, alios dum fallere tentat,
Fallitur imprudens, suaque intra retia pendet:
Seu quòd longa via est, multisque obnoxia sæpe
Casibus. ipsa suis seu quòd sat prodita technis,
Aut aliò, quàm quò fingit, procul ire putatur;
Aut aliò, quàm quò vellet, procul ire tenetur.
Objectis alter nunc molibus obstat eunti;
Nunc alter filum abrumpit, cogitque reverti
Turpiter, et cursu deprênsam eludit inani.
Hæc, vulgò ut perhibent, nulla non regnat in aula
Servilis virtus animi; consuetaque verum
Nunquam animi, at solùm Fortunæ sumere vultum.
Hæc tamen adversam (quid enim mendacia prosint
Consimiles inter famulos, dominosque sagaces?)
Fortunam queritur plerunque; ac tristibus aulæ
Imputat auspiciis lævæ fata aspera mentis.
Tu meliùs, quò vis, (credas mihi) tramite recto
Pervenies. (a) Aquilam hæc infert via regia Cœlo;
Intulit hæc Superis Heroas, et addidit illis.
8. Nec tamen Extremum tibi sit vitare secundum

(a) Sola Aquila inter Aves rectâ viâ, non obliquâ, fertur in Cœlum. *Aldrovandus.*

Cura minor. Cura id poteris novisse minori;
Quippe ipsi magis adversum distare videbis
Virtuti, longèque alios ostendere vultus.
Dicitur hæc multis hebetis *Vesania* mentis:
Simplicitas meliùs Tusco sermone vocatur.
At non dilectæ Superis laudata [a] Columbæ
Hæc ea Simplicitas est, cui Prudentia cauti
It Colubri comes, et nunquam discedit ab illa.
Hæc ea [b] Simplicitas est, cui nil rebus in arctis
Cordis inest, quâque imprudens seducta Columba est.
Scilicet, optatis rerum quàm multa frequenter,
Fortunæ, atque hominum vitio, successibus obstent,
Illa rudis, nullo aggreditur sæpe ardua quæque
Consilio; nec, quid sperari, quidve timeri
Jure queat, priùs expendit, secumque volutat.
Quæ menti prima occurrunt, ea protinus ipsi
Arrident: nec, quid poscant tempusque, locusque,
Quæquè rei majus momentum adjuncta gerendæ
Præstant, aut ultro videt, aut aliunde requirit.
Quin malè dignoscens, quid distent æra lupinis,
Accipit inventos, non lectos quærit amicos,
Ah misera! Et cui non credet peritura Sinonï,
Tam novisse rudis, quàm nescia texere fraudes?
Quid quòd agens aliud, cur se quis fallere possit,
Suggerit ipsa ultro causas ignara, suâque
Fila manu, unde sibi ponantur retia, præbet.
Dissimulare nequit; quin, clauso pectoris antro
Quæ celanda forent, patulo sinit ore subinde
Efflue-

(a) Estote prudentes, sicut Serpentes, et simplices, sicut Columbæ. *Matth.* 10.

(b) Ephraim, quasi Columba seducta, non habens cor. *Osea* c. 7.

Effluere, atque animum rimoſa effundit apertum.
Nec tamen hæc ſurdus ſemper fert irrita ventus:
Excipiunt alii, et memori ſub pectore condunt.
Sin autem ſemel, atque iterum verſutior alter
Decepit morum ignaram, et nil tale timentem;
(Uſque adeo facilem verſat contrarius error)
Tum verò mentem aggreditur comitantibus umbris
Suſpicio. Jam cuncta timet, jam credere nulli,
Jam verbis, veriſque ſuam ſub vultibus artem
Concipere; ac molles nullo diſcrimine fraudes
Undique, et arcanos anceps pavet undique Ulyſſes.
Haud aliter, quem perpetuis cruciatibus urget
Sæva dies animi, ultriceſque in pectore Diræ,
Illum omnes auræ, ſonus illum territat omnis.
At non tot dubio tutam ſub corde timores
Efficiunt. Cui ſe forſan malè credidit uni,
Ille artes, fraudeſque, ille omnem abſcondit Ulyſſem.
Hæc bona Simplicitas, quæ fraudis fallitur ipſo
Sæpe metu, noſtras raró tenet accola terras:
Hoſpes adeſt nonnunquam e frigidioribus oris,
Seque ſuo prodit nil fuci conſcia vultu.
Hic autem, ingenio Calabri deluſa ſagaci
Vix ſemel Autolyci, poſthac timet Itala ſemper
Pectora: ceu calidæ memorem vel frigida terret
Unda canem, et patulis longè jubet ire feneſtris.
Ipſa tamen, ſiquid lævæ ſub parte mamillæ
Palpitat, hinc meliùs ſapit, et decepta docetur.
9. Hic mihi finis erat; ſed menti plura recurrunt
Nunc ſimul, obſervata memor quæ ſuggerit uſus.
Forſan et hæc paucis ad rem monuiſſe juvabit.
Maxima pars hominum, quamvis ad cætera prudens,
Haud raró tamen Extremum declinat in unum;

Ingenio quà quisque suo, vel more sinistro,
Aut vafer, aut simplex trahitur, medioque recedit.
Ut quos robusto firmos in corpore vexat
Aut capitis dolor, aut violentum rheuma subinde,
Aut quid tale ipsis morosum, aliisque molestum,
Non nos incolumes, non ægros dicere possis:
Sic plures, quorum tamen est prudentia menti,
Ex omni nequeunt prudentes parte vocari.
Et primùm quosdam adverti, quos dicere nolo,
Expertus nimiùm. Gratos prudentia pridem
Fecerat, et dulcis pietas, et dexter agendi
Mos in amicitia. Quis falsos crederet unquam?
Ecce autem, seu quid poscam, seu poscar ab illis
Ipse aliquid; quamvis contingat sæpius istud:
Fronde tegunt molli laqueos, et floribus ornant,
Albaque pro nigris, proque albis nigra reponunt.
Hei mihi! quot tales Latio sub sydere Prothei,
Quamlibet in formam citra scelus ire sagaces;
Nî tamen hoc ipsum scelus est in amore vocandum,
Læsa fides scelus hoc ipsum nisi credat habendum!
Hos ego, (dicamnè, an sileam? Sed dicere præstat)
Hos ego vel dominos, vel amicos usque recusem,
Vel famulos etiam; quid enim mihi cætera prosint,
Si, quæ sola probo, mens, aut cor desit in illis?
Ergo cave, ne te quis talem credere possit.
Ipsis plura quidem, si res ita poscat, amicis
Dissimules, liceat; sed nil simulabitur unquam.
Præterea ne, siqua tibi prudentia cordi est,
Promissis sit lingua ferax, sed frigida factis
Dextera: neu coram laudes, et in æthera tollas,
Quod carpas clam deinde, ac presso pollice damnes.
Nec te adeo vafrum credas, ut fallere tutò
Posse

Posse putes alios. Animi hoc, mihi crede, superbi,
Mentis et exiguæ est. Fors, qua te fallere possint,
Mens aljis major; sed, qua te fallere nolint,
Mens eadem melior. Decus hoc Prudentis utrumque est.
At contrà nec te lacero sat vellere totum
Curta teget Vulpes, (ceu quondam turpis Asellus,
Vah! malè consulti tunicatus pelle Leonis,
Risus erat) nec te quisquam gaudebit amico.
10. Nec minùs ingentes Fabios, rectosque Catones
Invenies, quibus est prudentia semper in ore,
Semper in incessu gravitas, et regula morum
Grandior in vultu. Sed et hos (mirabile dictu!)
Deficit in parvis Prudentia sæpe minores.
Seu rebus mentem impendant majoribus omnem;
Seu quædam incautos reddat fiducia morum,
Securosque sui: seu, quod mihi credere pronum est,
Humano Heroes etiam sub pectore manes
Sæpe suos patiuntur; et hinc mens effluit illis
Simpliciùs, notâque aljis penetrabilis arte.
At non hìc nostri pretium est exempla referre
Temporis invidiosa. Virum novisse sagacem
Ipse puer memini: (pueris res altiùs hærent)
Quippe suæ dudum fuerat spectabilis Urbi,
Et meritò; mores nam convenienter in illo
Ibant, et voces, et magnæ cætera menti.
Excipienda tamen res una, vel altera tantùm,
In qua idem multis tunc admiratio, multis
Risus erat; sed erat tamen idem magnus utrisque.
Nempe suas aut ipse loqui, aut audire libenter
Dictus erat, non hoc laudandus nomine, laudes:
Præcipuè siquid Patriæ, aut sibi sanguine junctæ
Stirpis, et antiquis sua facta referret ab annis.

Hìc nimiùm bonus, hìc ſimplex, et ſe minor ipſo
Aut erat, aut poterat, ſi non erat, ille videri.
Tu memor advertas, ne quis tibi blandiùs intret
Pectora; quà faciles aditus venientibus offert
Mollior affectus, redditque, auditque libenter,
Quas vix ægra pati poſſit Prudentia, voces.
Lubrica res lingua eſt, dum te, tuaque ipſe ſagaci
Auditore refers coram bonus. Ille latentem
Dignoſcet labem, atque ægri tectoria cordis;
Seu te laudabis, ſeu te culpaveris idem.
Uſque adeo in minimis, quamvis ad grandia prudens,
Magnæ mentis inops potes, atque incatus haberi.
Sic, totam inſtanti Coluber dum ſubtrahit enſi
Cervicem, reliquo tutum ſe corpore credit;
Vulneribus ſpatium quamvis immane relinquat.
11. At ſatis uſq, datum eſt monitis. Tamen omnibus illis
Addere ſupremum, penitæque infigere menti
Nunc ſupereſt. Non hoc monitum præſentius ullum eſt;
Quippe auctor Deus ipſe, idem Deus ipſe magiſter.
(a) Ah! nimiùm ne fide tuæ, malè credule, menti;
Neu ſpem nota tibi Prudentia præſtet inanem.
(b) Fallimur incerto, mortalia pectora, rerum
Eventu; nec, quod Deus alta nocte futurum
Contegit, ignotis gaudens involuere cauſis,
Humanæ valeas ſtudio promittere mentis.
Quin etiam, omnipotens rerum auctor, et arbiter idem,
(Siquid præcipuè calcato intendimus æquo,
Fraudibus et Pœnis molimur, et arte Pelaſga)
Mo-

(a) Ne innitaris prudentiæ tuæ *Prov. c. 3.*
(b) Cogitationes Mortalium timidæ, et incertæ providentiæ noſtræ; *Sap. c. 9.*

(a) Mobilibus nixa, heu! ſtipulis ex æthere ridet
Conſilia, et magno extructas conamine moles,
Ceu (b) quas vana leves ſuſpendit aranea telas,
Vix tenui exturbat flatu, et diſſolvit in auras.
Ergo (quod magnus rectè Loyola monebat)
Sic tua ſe rebus mens, et manus addat agendis,
Ceu nil uſque tibi præſtet Deus auctor in illis:
Ceu tua nil rebus mens, et manus addat agendis,
Sic auctor, credas, Deus omnia præſtet in illis.
Inde ſuas Pietas aget, et Solertia partes;
(c) Quidquid enim tradant alji, doceantque Magiſtri,
Altera ſi deſit, nuſquam Prudentia vera eſt.

12. Sed jam littus adeſt, cymbamque ex æquore longo
Gratatur reducem, et læto clamore ſalutat.
Hìc mihi portus erit. Quantum dedit uſque repugnans
Muſa operi inſueto, menſque auſis grandibus impar,
Dicta mihi tenui ſatis eſt Prudentia verſu.
Vos autem, quibus haud pridem præceptor alumnis
Clarus eram, mixtoque oneri lætabar honore:
Splendida tantorum ſpes, et jam gaudia Patrum,
ADRIACI Juvenes; quando Prudentia tanti eſt,
Quæ vel adhuc teneris vos longè major in annis
Oſtendit Venetos, exempla domeſtica circùm
Conſulite, et memores auguſta per atria telas.
Hìc vultus Proavûm inſignes, venerabile magnis
Mentibus hoſpitium; veteriſque incocta Senatûs
Conſilia, et grandes animos expendite in illis.

(a) Væ filii deſertores, dicit Dominus, ut faceretis conſilium, et non ex me: et ordiremini telam, et non per ſpiritum meum. *Iſaia c.30.*

(b) Telas araneæ texuerunt. *Idem cap.59.*

(c) Scientia Sanctorum, Prudentia. *Prov c.9.*

His ſtetit adverſam Reſpublica fulta columnis
Fortunam contra, et conatus triſtè furentis
Invidiæ: his latè ducibus terrâque, marique
Protulit imperium, et famam ſuper æthera vexit.
Ipſos par vobis ſtudium obſervare Parentes,
Affineſque alios, quos et virtutis avitæ
Hæredes, patriique futura exempla Senatûs,
Et præſens videt, et veniens mirabitur ætas.
His vos patritia, ſimili quos ore refertis,
Fingite mente pares. Quid ſit PRUDENTIA, quâque
Arte queat pro re quavis diverſa parari,
Ipſi vos dictis melius, rebuſque docebunt.



UTRUM

VENETO ADOLESCENTI,

Qui, administraturus exinde Rempublicam, dat literis operam, potior esse debeat

M. TULLII CICERONIS

Lectio, an verò

CORNELII TACITI.

PROLUSIO

IN INSTAURATIONE STUDIORUM

Anni M. DCC. IV.

Venetiis habita,

Eodemque anno typis edita.

Illustriss., atque Excellentiss. Domino

D. CAROLO RUZINI

EQUITI, AC SENATORI AMPLISSIMO. (a)

JOANNES ANTONIUS BERNARDI S. J.



Uem propitium præ cæteris auditorem experta est, domesticos intra parietes enuntiata, Prolusio hæc mea; eum videlicet in te sperat, Illustriss., atque Excellentiss. D., *humanissimum pariter lectorem sui, publica jam luce donata alieno magis judicio, quàm meo. Tu sanè occurristi mihi (dicam statim, quod de te sentio, non ut captem mihi præsidium tuum, sed ut gratuler) inter illos præcipuus, quibus non alius opportunior continge-*

(a) *Nunc etiam ab annis ferme decem*, D. Marci Procuratori ex merito; *simulque ab annis pluribus* Patavini Gymnasii Reformatori.

tingere poterat vel argumento Judex, vel Oratori Patronus. An non utrumque scilicet cumulatissimè præstat ea mentis prudentia, integritas animi, experientia rerum, et hæc omnia præseferens honestissima quædam totius corporis dignitas; quibus in Urbe Italiæ Principe adeo oculos omnium, atque animos imples, ut, quàm molestas tibi tuas laudes facit virtus tua, tam reddat aliis ad majorem tui famam tuum nomen supervacaneas? Quanquam eas, ut ita dicam, vel exteris gentibus necessarias jam fecisti splendidissimis Legationibus tuis; quibus Hispaniæ, Germaniæ, Pannoniæ, atque Italiæ [a] *demum nostræ pulcherrimam sapientissimæ Terrarum Reipublicæ et faciem, et mentem exhi-*

(a) *Addi potest*. Thraciæ, *atque* Hollandiæ; *cùm Serenissimæ Reipublicæ Orator Extraordinarius fuerit, anno* 1706. *Constantinopoli apud* Acmetum *III. Turcarum Imperatorem, quo tempore, Venetiis absens, insueto planè suffragiorum numero, et concursu, renuntiatus est D. Marci Procurator ex merito: annis verò* 1712., *et* 1713. *Ultrajecti, ubi tunc temporis Oratorum congressus habebatur de Pace inter Christianos Principes &c.*

exhibuisti. Mirantur illæ adhuc relicta a te ubique gloriosissima Venetæ magnificentiæ non tam vestigia, quàm exempla; quanquam inter illa Oratoris insignia veriùs, quàm auxilia, publicæ admirationi major ipse emineres, omnemque dignitatis, ac fortunæ tuæ comitatum virtutum tuarum speciosior longè pompa præcelleret. Hæ porrò quàm grande sui spectaculum fecerint, quanquam nunquam non similes sibi, ac maximo ubique Theatro pares, satis tamen, superque testatur tum illud Viennensi tot Oratorum in Conventu, cui vicariam Patriæ manum, ac præsentiam impendisti, Serenissimam inter Rempublicam, ac potentissimum, quem Czarum vocant, Moscoviæ Principem initum feliciter Fœdus; tum ille præcipuè, qui proximè habitus fuit Carlovitii ad Panoniam, de firmanda tot inter Nationes Pace arduus planè Congressus; ubi palam ostendisti, iis frustra repugnantibus, quæ

ma-

magnis etiam Virtutibus vel metum aliquando iniciunt, vel pretium subinde apud imperitos imminuunt, cujus esses causæ patronus, cujus Legatus Reipublicæ. Adeo utrique in te non defuit vel lyncea mentis sagacitas, vel invictum robur pectoris, vel, quæ raro illis jungitur, mira quædam, ut ajunt, agendi dexteritas; ut non modò fœderati Proceres, quibus erat diversa causa, sed hostes etiam ipsi, quibus erat contraria, Veneti Oratoris prudentiam probarent, fortitudinem admirarentur. His ingentibus sanè meritis, ac prorsus tuis, plurima accedunt felicia additamenta, et merita, ut ita dicam, secunda, vetus nobilitas generis tui, totque clarissime, ac pares ipsi affinitates; nullique demum non perspicua naturæ, virtutisque decora: hinc Majorum tuorum, ac Fratrum, quorum, ut nihil attingam singillatim de rebus tum in Patria, tum extra Patriam præclarè pro ipsa gestis, re-

cens

cens adhuc imago præcipuis in urbibus Venetæ Ditionis, ac præsens admiratio est: hinc tot, tantorumque ex Fratre Nepotum, quorum, ut priores tres silentio præteream, quos in oculis omnium, atque adeo pectoribus clara satis Venetiis non tam fama commendat, quàm præsentia; postremos duos adhuc publico immaturos Disciplina nostra magnificè ostentat, ingenio, studio, pietate, modestia, reliquisque adolescente nobili dignis dotibus tam nobis gloriosos, quàm similes tibi; tales demum præ cæteris in Schola, qualis est Patruus in Republica. Hæc certè omnia vel tenuissimo Oratori, mihique persimili, utcunque peregrino homini, tibique prorsus ignoto, luculentissimum ab humanitate tua patrocinium pollicerentur. At idem videlicet sperandi alia suppetunt præcipua mihi, eaque præsentissima haud dubiè nomina, præterita erga me Excellentiss. Gentis Tuæ *beneficia. Hæc porrò animum mihi faciunt*

ciunt non tam hominis grati, quàm securi; cùm nemo plerunque confidentiùs oret, quam qui sæpius exoravit. Liceat tamen mihi fateri palam, quod ego jampridem in votis habeo; idque magis, ut debitum exsolvam, quàm ut impetrem beneficium. Enimvero, si eorum nos debitores fateri meritò debemus, quæ magnis scilicet viris accepta illi referunt, quibus plurimum in terris secundum Deum debemus; quantum tibi, Tuisque debeam, Eques Excellentiss., *intelligere magis possum, quàm meminisse. Sanè, ut omnem retro memoriam studiosè mittam, non ante nosse vos cœpi, quàm vobis debere; vestraque in me singularis planè benignitasnè dixerim, an verò beneficentia, an utraque veriùs, adeo nunquam per tot annos aut desiit, aut stetit, ut continentis instar fluminis propitio mihi alveo non effluxerit tantùm, sed etiam exundaverit. Hæc ipsa Prolusio mea, ut omittam cætera omnia,*

satis

ſatis per ſe una teſtatur tuum præcipuè erga me , ac majoris natu Fratris ingenium. Ut habuit ab humanitate patronos, quos judices a ſapientia expectabat! Ut experta commendatores ſui eſt , quos timere jure , ac meritò cenſores debuiſſet! Feciſtis tunc argumenta laudis meæ , quæ favoris erga me veſtri præconia veriùs erant ; ut cordatiſſimam propterea gratulationem veſtram , omnique Oratoris meritò , ac voto majorem , cùm alius non intelligeret , alius etiam interrogaret , neceſſe mihi fuerit interpretari . Quamobrem cuinam jure potiori , quàm tibi , ſive obſequium deferrem , ſive quærerem patrocinium , inſcribenda hæc erat Proluſio mea ; quam ſanè a pudore meo vix impetràſſem , ut publico judicio committerem , niſi magnum illi priùs Mæcenatem non dicam facerem , ſed invenirem . Illud ergo jam ſupereſt unum , Eques Excellentiſs., *ut , quam excepiſti humaniſſimis auribus , ſimili planè vultu digne-*

ris ; tuumque illud , quod patrocinium ego in me intelligo, existiment alii de me judicium. Quanquam , illud utcunque interpretentur alii, satis gloriæ consecutum me publicè credam ; si grande præsidium tui nominis Prolusioni huic meæ aut meruisse dicar, aut impetrâsse.



PROLUSIO.

NOvamnè dixerim vobis exhibet hoc anno sui speciem, an veterem reddit veriùs, Rhetorica nostra, N. N.; dum bicipiti Jano illi haud absimilis, cujus Templum tot jam annos apertum Musæ nostræ deplorant, gemino quodammodo in vultu ipsa quoque spectandam se præbet? Habuit illa pridem vestra in hac Urbe non semel, idque plures continenter annos, binos sui Professores; at, nescio quo calamitoso sibi magis, quàm Urbi fato, integrum jam ferme decennium uno tantùm Didascalo aut damnata sit, aut contenta. Fuerit quidem Scholæ satis (quis enim id neget?) Rhetorices Professor unus, at non Urbi fortasse satis erat, quæ tantùm cæteras eloquentiæ studio, ac laude præstat, quantùm potentia, ac libertate. Quid quòd decebat, ut in maxima Terrarum Republica omnem prorsus eraderemus vel minoribus e Scholis imaginem regni; eaque in Urbe, quæ veterem Mundo Romam una nunc exhibet, ipsa quoque Rhetorice (absit verbo invidia) haberet Consules suos? Ergo, ut præteritos Venetæ Rhetorices annos nec damnamus, nec absolvimus; ita Præsides illi duos veluti postliminio nunc reddimus. Ostendat jam se majorem se ipsa quodammodo Rhetorica nostra, ubi meliores, quàm alibi, ingenuas artes, ac liberales disciplinas admiramur; atque adeo, si auditorum sibi numerum gratulari aliàs solet, quantò magis nunc Præceptorum! Quanquam, ut verum fatear, potiori quodam jure gratulandum istis sit, quòd artem ex æquo suam Veneta in Urbe jam exerceant: major haud dubiè futu-

rus uterque, si divisum hic teneat Rhetorices imperium, quàm si integrum alibi, atque adeo totum. At, si res ita habet, (audio jam vestrum non neminem) geminam hoc anno Prolusionem jure quidem, ac meritò et expectamus a vobis, et exigimus; cùm non alio sanè pacto spectaculum sui majus Ars apud nos vestra facere possit, qui non eam in scholis docemur, sed in Præceptoribus hìc probamus. Quid reponam ad hæc vobis, N. N.? Faciendum porrò satis justissimæ sententiæ, atque adeo expectationi vestræ. Præfabitur Rhetoricæ suæ Professor uterque, sed unius scilicet ore tantùm; idque tum ut recepto jam ubique Scholarum mori, tum ut vestro præcipuè commodo consulatur. Utinam ad majorem Scholæ nostræ commendationem hæc illi provincia contigisset, quo ego scilicet non tam socio muneris impositi glorior, quàm gerendi magistro quodammodo instruor! Sed videlicet et dignam ille sui speciem jam fecit, auditus vobis aliàs ex hoc loco; et periculum sui nunc facere apud vos debet, de quo haud satis constat. Ergo, ut ad rem ipsam jam veniam, en vobis Rhetorem utrumqne una, eademque Prolusione præfantem Rhetoricæ suæ. Dabit illi argumentum, atque adeo materiam omnem habita ruri inter ipsos civilis maximè disputatio: *Utrum Veneto Adolescenti, qui, administraturus exinde Rempublicam, dat literis operam, potior esse debeat lectio Ciceronis, an verò Taciti.* Alius fortasse nemo veterum Scriptorum vestra in hac Urbe aut studiosiùs legitur, aut feliciùs exprimitur; ut Venetorum Patrum sapientiam cogitanti sæpe mihi incertum fuerit, utrum magis in illis admirarer Romanos Consules, an verò Romanos Cæsares. Quare non erit, ut puto, infra dignitatem fortunæ, ac sapientiæ vestræ, eruditam,

ditam, ut ita dicam, duorum Rhetorum rusticationem excipere, et ipsa saltem argumenti aut novitas, aut utilitas, paulò fortassis confidentiorem apud vos Prolusionem excusabit.

Secesseram ex Urbe autumnalibus proximè feriis, ut a longo studiorum strepitu aliquot ruri dies agerem quietos magis, quàm otiosos. Et sanè amœnior illa Cœli, ac loci libertas, nescio quam excutiebat ingenii servitutem; eamque maximam ruris voluptatem ducebam necessitatis impatiens, ac desidiæ, quòd studere mihi liceret nec anxio, nec occupato. Adfuit illic eam in rem peropportunè paucis post diebus *Hellenicus*, veteri morum consuetudine, ac longa studiorum cognatione, si quis alius, mihi apprime carus; cuiquè, ut ad augmentum amoris mutui deesset nihil, destinatus non ita pridem collega fueram Rhetorico in Consulatu. Nunquam porrò magis animo indulgere videbar mihi, quam cùm *Hellenico* vacarem; nec facilè dixerim, utrum horas cum illo jucundiùs fallerem, an utiliùs impenderem. Disceptabamus plerunque (quid enim frequentiùs tractarent aliud amici Rhetores?) de Rhetorica nostra; utque in omnibus idem ferme utrique animus, non idem subinde judicium, vix aliquando intra rixas, ac voces indignantium disputatio stetit. Dixisset aliquis nostram illam, quanquam alio de nomine, similem planè Cæsaris, ac Pompeji Villis quibusdam, quas in summis Montium jugis extructas, ac veterum adhuc ingenium dominorum referentes, non Villas (a) Seneca nuncupavit, sed castra. Adeo tamen nihil officiebat amicorum caritati literarium hoc dissidium, ut in ipso pugnæ æstu, quos di-

(a) *Senec. ep. 51.*

verſos agebat mentis ſtudium, fortiùs jungeret amor veritatis. Quin et frequens illa ingeniorum digladiatio mirum quantùm voluptati inſerviret, nedum eruditioni; cùm dicere aliquid contrà ſubinde alteri opus eſſet, non ut nobis ipſi tantùm, ſed ut aljis etiam, duo videremur. At non alia nobis diſputatio aut prolixior fuit unquam, aut jucundior; quàm, cùm nil tale meditati, arreptaque ex tempore, ſeu quæſita veriùs opportunitate, diſquirendum nobis decrevimus, quod hodiernæ Proluſioni meæ argumentum facit. Inambulabat ſemel *Hellenicus* adulto jam manè, quà geminus ordo bellè ſibi reſpondentium arborum amœnum planè, atque adeo a Sole innoxium, non tam oculis proſpectum, quàm ſpatium pedibus extendebat. Hac tamen amœnitate loci dixiſſes illum uti veriùs, quàm frui: adeo vacans animo, ſibique intentus uni, incedebat planè ſolus, ac tacitus; niſi quantùm cogitationes ipſi ſuæ turbam facere, ac ſtudium magis videbatur illud eſſe, quàm ſilentium. Ipſe interea haud ita longè decurrentem propter rivum hoſpitali ſub umbra conſederam, ibique Agricolam *Taciti* lenta lectione ſuaviſſimè deguſtabam. Ita ſuo uterque negotionè, an ſolatio ſuaviſſimè tenebamur; cùm poſt tertiam, quartamve inambulationem propior ad me *Hellenicus*: Ecquid, inquit, illud eſt, *Philander*, cujus te lectio tandiu tenet, atque extra te quodammodo rapit? Novinè aliquid Gallico e Pindo, an tale quidpiam ultra Alpes elaboratum, indeque huc properè tranſmiſſum; ut, quod peregrinis mercibus cæteris uſuvenit, felicius apud nos fatum inveniret. Cui ego ſubridentem inter, ac propè ſubiratum: Ludis videlicet, ut video, *Hellenice*, qui me intus, et in cute tibi jam notum, vel adeo inimicum ſuſpiceris Italiæ noſ-

træ,

træ, ut, quod multi faciunt, externa tantùm probem: vel sic infensum ingenio meo, ut hominibus magis, quàm sapientibus studeam; eaque animi parte, quam liberam maximè natura voluit, non admittam modò servitutem, sed et amem? At aliàs de hoc plura. *Taciti*, ut vides, Agricolam legebam, auctoris enimvero, siquis est alius, apprime diserti; et cujus ego præ cæteris cùm ingenium, tum judicium plurimi facio. Nec miror sanè, quòd Venetis ille civibus adeo probetur; cùm non arcana tantùm civilis prudentiæ publicis hominibus luculenter explicet, sed privatum etiam lectorem quemlibet acuto quodam, ac robusto dicendi genere excitet mirum in modum, atque adeo oblectet. Ut hæc omnia, tum mihi *Hellenicus*, concedam *Tacito* tuo, quem tamen haud te latet vel doctissimos apud viros in multis reprehendi; alius tamen est mihi *Tacitus*, isque, pace dixerim tua, et meliùs loquens, et Venetis fortassis auribus magis arridens. Sub hæc libellum deprompsit, ac scitanti mihi, quis ille demum esset novus *Tacitus*: immo verò, reposuit, vetus est, et antiquior tuo. En inquit, Epistolas *M. Tullii Ciceronis*: librum videlicet majoris sapientiæ, quàm famæ; et cui quotidianus jam usus, ut expositis Cœlitum simulacris, non tam venustatem imminuit, quàm venerationem. Hinc tamen ediscenda, *Philander*, præcipuè est eloquentia liberi hominis, et digna prorsus Veneto Cive sapientia. Mihi sanè, qui et Epistolas easdem haud semel evolvi, et virorum prudentum de illis judicium sæpius audivi, persuasum planè est ad formandam non linguam modò, sed etiam mentem Veneti adolescentis, qui ad regimen Reipublicæ educetur, adeo *Tacito Ciceronem* præstare, ut hujus potiorem ipsi, quàm illius lectionem, haud du-

biè pronuntiem. Utinam liceret hæc mihi aliquando in disputationem afferre, ac præjudicium pro *Tacito* quodam ab plurimorum mentibus evellere, qui videlicet, ubi de civilibus præceptis agendum sit, ac de politica, ut ipsi loquuntur, dictione quadam, nulla *Ciceronis* mentione facta, unum ad *Tacitum*, quasi Delphicum ad oraculum, confugiendum esse deprædicant? Hæc *Hellenicus* dicebat acriore spiritu, et vultu planè disputantis, ut me quodammodo ad sustinendas *Taciti* partes provocare videretur. Quare, etsi ab illo nil tale tunc temporis expectarem, ad eruditum certamen animum adjecî, et: Falleris, dixi, *Hellenice*, si me quoque hominibus illis adnumeras, qui forensem tantùm doctrinam, ac popularem eloquentiam in *Tullio* mirantur. Ego verò et capacem illum civilium negotiorum, et publicæ rei peritum nunquam non duxi: uno verbo non Oratorem modò bonum pronuntio *M. Tullium*, sed etiam bonum Consulem. At dicam planè, quod sentio, cùm in eamdem præcipuè sententiam viros doctissimos convenire mecum videam. Ut necessaria prorsus, nedum perutilis sit, Veneto illi adolescenti, quem modò dicebas, lectio *Ciceronis*; potiorem tamen habendam ipsi *Taciti* lectionem palam affirmo. Hoc ipsum, si libet tibi; immo verò, quia, ut video, jam libet, hoc, inquam, ipsum pluribus expendamus. Stabis ipse pro *Tullio*, ego pro *Tacito*. Interea pedibus insistere diutiùs te veto longiùs fortasse disputaturum. Quin potiùs

Hìc quoque tu mecum sedeas, ubi margine ripæ
Explicat ingenuum plenior herba torum.
Non hìc hospitibus pretiosam commodat umbram,
Cecropii, Platanus, digna Palæstra senis.

Pro

Pro viridi tamen est viridis locus ipse Lyceo;
Et talem facilis gymnada Pallas amat.
En tibi lata salix Soles defendit iniquos;
Nec, quæ tuta satis, vilior umbra mihi est.
Ipse sonans rivus lites invitat amicas;
Ne strepitu tantùm murmuret unda suo.
Solæ, dicturis ut grata silentia præstent,
Dulcè silent Volucres, et levis aura tacet.
Quid dubitamus adhuc? Hìc liber Tullius *oret.*
Hìc grandi Tacitus *gaudeat ore loqui.*

Excepit *Hellenicus*, ut qui soleret meas esse aliquid putare nugas, subitarios versiculos humanissimo plausu; eòque mihi, ut hoc etiam addam, jucundiore, quòd non mentis illud judicium esse, sed pectoris; atque adeo non tam carmina laudari ab ipso intelligerem, quàm Poetam amari. Inde, cùm nudo in gramine mihi assedisset, duas proposuit futuræ disputationis conditiones, quò illa scilicet certa methodo procederet, nec fraudaretur, ut fit in plurimis, fructu suo: quarum porrò ea prior erat, ut primò quidem *Ciceronis*, ac *Taciti* stylum, seu extimum, ut ita dicam, rerum corticem; mox ipsum quodammodo doctrinæ nucleum, seu latentem rerum medullam expenderemus: altera verò, ut ne dicentem alter alterum importunus abrumperet, quo sanè vitio sciebat expertus ille, quàm insigniter ego sive ex ingenio, sive ex argumento, plerunque peccarem. Cùm in has illi conditiones manus dedissem, hoc ferme pacto pro *Tullio* exorsus est.

Videor mihi, *Philander*, hodierna hac controversia non tam causam *Ciceronis* agere, quàm injuriam illi quodammodo inferre; quis enim non videat multum jam detrahi divinæ prorsus tanti viri eloquentiæ, si stylus eidem *Taciti* non dicam præferatur, sed tantùm com-

comparetur. Habemus certè *M. Tullium*, quod satis esset mihi ad victoriam, [a] *in omnibus, quæ in quòque laudantur*, ut loquar cum Quintiliano, *eminentissimum*: quantò magis in ea Rhetorices parte, qua non cæteros tantùm, sed, et se ipse quodammodo superavit; ut mihi quidem videatur reliquis Oratoris dotibus primus, absolutissima elocutione fuisse solus? Sed videlicet, (repones hìc mihi) dum auctoris utriusque stylum expendimus, non illud nobis disputandum est, uter in se alteri præstet, sed uter Veneto Civi magis expediat: quasi verò, quod *Ciceroni* maximè favet, id scilicet obesse debeat *Ciceroni*. Quis enim dicendi stylus magis deceat liberam Civitatem, atque alteram veluti Romam, quàm ingenuus, quàm Romanus, quàm Consularis, et non solùm Reipublicæ libertatem præseferens, sed etiam majestatem? Quid hìc faciat tuus ille Cornelianus stylus, concisus, abruptus, obscurus, et quo loqui plerunque solent, aut qui turpiter serviunt, aut qui perperam dominantur? Adeo certè non fuit ille in pretio stante Republica, ut ne usui quidem fuerit; tunc enim servire Romæ lingua vix cœpit, cùm regnare Roma jam desiit, idemque eloquentiæ fuit exitium, ac libertatis. Inde porrò factum est, ut ingenua dicendi vis, ceu virtus, ac sapientia, paucorum res esset: invaluitque primò quidem in Palatio, mox etiam in Foro, novum quoddam dicendi genus, acutum illud quidem, ac vitio temporis placens; sed asperum idem, atque incultum, et haud facilè dixerim, oraculonè dignius, an mancipio; cùm non alio sanè pacto loqui mos sit aut Tyrannidi, aut Adulationi. Quare tam indignum Veneta Urbe genus illud dicendi videtur mihi, quàm ignotum

(a) *In Vit. Agric.*

tum veteri Romæ; ubi et principem dicendi locum *Cicero* tenuit, et alii quicunque aut ante, aut post illum hac laude claruerunt, aut rudimenta *Ciceronis* fuisse videantur, aut simulacra. Quid quòd ipsa causarum genera, quæ Venetiis ut plurimùm pertractantur, stylum maximè desiderant plenum, solutum, oratorium, Ciceronianum? Habeat per me quidem laudem suam Senecæ stylus, ac *Taciti*, quanquam sciam repugnare mihi eruditorum plerosque, Didascalico fortasse in genere, ac Demonstrativo: quisnam sanæ mentis, ubi Judiciale genus occurrat, ac Deliberativum, discedat a *Cicerone*? Quisnam non planè rudis, atque indoctus, si non colludere velit, ac prævaricari, ad *Tacitum* confugiat, ut reum apud Judices defendat, ut bellum, aut pacem Reipublicæ persuadeat? Quòd si ad ea ipsa veniamus, quæ aut medium, aut tenuem stylum exposcunt, privatas scilicet publicis de rebus consultationes, easque, quæ publico nomine conscribi solent, id genus epistolas; næ tu, *Philander*, ni fallor, frustra contendes, ut *Tullio Tacitus* præferatur. Ego sanè ea præcipuè de causa adolescenti Veneto *Ciceronis* adeo lectionem commendo; ut, si cætera, quæ certè sunt bene multa, deessent omnia, hoc uno tamen de nomine legendum ipsi præ *Tacito Tullium* judicarem. Quid enim, rogo te, Ciceronianis epistolis aut grandius infra tumorem, aut elegantius sine fuco, aut argutius citra affectationem? Ut res quasque et longissimas paucis narrat, et difficillimas dilucidè explicat, et dissipatas ordinatim componit! Ut delectat nunc acutus, ut gravis idem nunc docet; ut demum movet affectus omnes, magnus enimverò vel familiaribus in epistolis Orator! Quid tale porrò mihi dabis in *Tacito*, quem, ut amicus olim meus

fate-

fatebatur mihi, de tripode loquentem ut plurimùm vix intelligas ſine interprete, quiquè oraculis ſæpe ſuis haud ſcias facilè, plus admirationis excitet tibi, an indignationis? Sed, ut alia in rem noſtram miſſa faciam, quæ ſanè ſuppetunt mihi plurima, inſtar omnis argumenti demum ſit Venetorum Scriptorum exemplum: eorum præcipuè, qui Reipublicæ gubernaculis admoti noverant optimè, quinam præ cæteris dicendi ſtylus Veneto in Cive magis eſſet probandus; eumque ipſi, ut credere haud dubiè fas eſt, lucubrationibus ſuis exprimere ſtuduerunt. Conſulamus, ſi libet, *Juſtinianos*, *Barbaros*, *Bembos*, *Maurocenos*, *Donatos*, *Parutas*, aliosque id genus quamplures, non Venetæ tantùm, ſed toti etiam literariæ Reipublicæ, clariſſima nomina. Utrum demum imitandum ſibi in dicendo propoſuere prudentiſſimi Patres? *Tacitum*nè tuum; an meum, ſive, ut veriùs loquar, *Ciceronem* noſtrum? Tuam hìc ſententiam expecto, *Philander*; qui et illorum ſcripta haud ſemel evolviſti, et ea mihi ſæpius, ut planè Ciceroniana, commendâſti.

Audieram hucuſque dicentem non attentus modò, ſed, quod arduum mihi magis, planè tacitus; quanquam ægrum haud ſemel ſilentium conventioni magis præſtarem, quàm conſcientiæ; cùm et ingenium, uſuſque repugnaret, et tacentem ſubinde timor inceſſeret, ne reſponſum perderem, dum differrem. At verò, ubi dicendi non tam finem ille ſibi, quàm locum mihi fecit: Utinam, inquàm, tam eſſet mihi facile *Tacitum* apud Venetos exprimere, quàm in promptu eſt defendere! Innocentem planè illum oſtenderem ab imagine ſui; neque objecta ipſi a te crimina refellerem meliùs, quàm ſi eadem et ipſe ratione peccarem. Sed, cum ambigu-

biguum adhuc sit, sua *Tacito* vitia plus admirationis attulerint, an invidiæ; illud certè fatendum nobis est ultra imitationem plerunque esse, quidquid aut admiramur, aut invidemus. Nam, quod ultimò objiciebas mihi, eloquentiam Venetorum Patrum, qui uno, alteroque ab hinc seculo scripserunt; stylus ille non tam *Ciceronis* fortassis erat, quàm temporis. Licebat tunc vel serviliter quodammodo Tullianum esse, multaque in dicendo laudi dabantur, quæ nunc tamen excusaveris faciliùs, quàm laudaveris. Quid quòd illorum plerique latinè scripserunt; ea scilicet lingua, quæ, ut optimè [a]Pallavicinus noster, et longiores periodos amat, et anfractus verborum quosdam, ac veluti labyrinthos, quæ omnia sanè nemo non videt, quàm Etrusca hæc nostra reformidet. At nunc, ut loquuntur, ita italicè plerique scribunt; invaluitque fato feliciore dicendi genus, quod non tam numerum in verbis amat, quàm pondus. Id enimvero, quanquam per te ipse haud nescias, constabit magis, si non exteros modò consulas, sed et Venetos ipsos (ut omittam etiam veterem illum *Hermolaum Barbarum*, quem nulli ego secundum judico) Scriptores neotericos, *Nannios*, *Valerios*, *Fuscarenos*, aliosque ætatis adhuc, ac Reipublicæ suæ gloriam exornantes, quos Posteri nominabunt, nos intelligimus. Hæc dicuntur a me pro *Tacito*, quem ipse, ut videris mihi, non de gradu tantùm eloquentiæ, sed etiam Latinæ locutionis dejicere aggressus es; non ut aliquid gloriæ detraham Oratorum eloquentissimi, cùm nil fortasse mihi magis in votis sit, ut ajebat [b] ille; quàm ut vel umbram *Ciceronis* assequar. Equidem scio audivisse illum apud quos-

(a) *Tract. de Styl. c.5.n.8.* (b) *Politian. Ep.1.*

quosdam sui temporis elumbem, exsuccum, nimium, inflatum magis, quàm plenum; et cothurnis surgentem veriùs, quàm pedibus suis. At fuerint ista non vitia *Ciceronis*, sed Zoilorum mendacia; quanquam fortasse veritatis umbra aliqua occasionem illis mentiendi fecerit. Valeat per me Tullius in Rostris, triumphet in Foro; dum fateamur tamen populare illud dicendi genus, quod Romana, hoc est semipopulari, in Republica tanti erat, non adeo probandum in Veneta, quæ unis constat ex viris principibus, estque tota prorsus Aristocratia. Quis tamen *Tacito* eloquentiæ laudem usque adeo neget, quem et [a] junior Plinius eloquentissimum sæpius appellat, et [b] Sidonius dicentem cum pompa, et nunquam sine laude tacendum? Quòd si descendamus (quod ego maximè specto) e Rostris in Subsellia, atque e Foro migremus in Senatum; quisnam *Taciti* stylum haud summopere probet, quo non alius certè aut opportuniùs ibi serviat, aut feliciùs dominetur? At concisus, et brevis est? Ita scilicet et pampinis expedita vitis majores in botros exuberat; et longæva quercus non frondibus, sed trunco vires habet. At abruptus idem est, atque obscurus? Ita videlicet et in picturis umbræ laudantur; et sacris in adytis manufacta veluti nox quædam non tam caliginem intendit, quàm venerationem. Quid quòd in Conciliis haud semper vacat esse eloquentem; et meliùs plerunque loquitur, qui multa paucis exponit? Quid quòd multis sæpe de rebus, ubi præsertim aut ad exteros Oratorem agas, aut exterum ipse Oratorem alloquaris, nec tacere licet, nec expedit intelligi? Quòd autem *Taciti* stylum eo nomine cul-

(a) *L. 2. ep. 1. et ep. 11.* (b) *In Paneg. ad Anthem.*

culpas, quòd aut ſtante Republica non eſſet in uſu, aut illâ jam ſublatâ eſſe cœperit in pretio; næ tu videris (ſit verbo venia) hallucinari ſpecioſiùs, *Hellenice*: quaſi verò aut libertas, cui nihil ægriùs, quàm verba, præſcribas, eo dicendi genere uti non poſſet, quod ſervituti licet, nedum dominationi; aut non aliquid fortaſſis eo nomine deberemus exitio Romanæ Reipublicæ, unde habuit magna ex parte Sereniſſima hæc Veneta, quòd et naſci poſſet, et loqui. Sed tamen, ut hunc etiam gladium, quo *Taciti* ſtylum male impetis, aut extorqueam tibi, aut retundam; quis eruditorum neſciat accedere illum ad Salluſtii ſtylum, quem tenes optimè *Ciceronis* ſeculo dixiſſe, atque adeo et ſcripſiſſe Reipublicæ tempore, et locutum lingua libertatis?

Hæc cùm ego declamarem, jamque nonnulla reponere vellet *Hellenicus*, quibus oſtenderet non adeo infenſum ſe *Tacito*, ut mihi quidem videbatur, quippe quem plurimi in multis faceret, etſi minoris in re noſtra, quàm *Ciceronem*; ecce nobis extemplo, cariſſima capita, Gymnaſtici pulveris Commilitones reliqui, qui ad fallendum antemeridianum tempus eò uſque inambulando proceſſerant, quò ipſos ſcilicet audita longè diſputatio invitaverat. Et commodùm, inquit *Hellenicus*, huc appuliſtis, amici, magnæ videlicet litis, quæ mihi cum *Philandro* nunc eſt, non auditores futuri tantùm, ſed etiam judices. Inde, cùm paucis ab ipſo docti eſſent, quæ pluribus uterque antea dixeramus, jamque paribus nobiſcum ſubſelliis ſuper herbam conſediſſent; tùm verò ita rurſus *Hellenicus*.

Altera porrò propoſitæ diſputationis pars erat, uter quoad civilis medullam doctrinæ, ſive quoad politica, uti vocant, qui vim hujuſce nominis haud perperam in-

tel-

telligunt, documenta, pluris apud Venetos habendus sit, *Tullius*nè, an *Tacitus*; atque adeo, utrius lectio Veneto adolescenti, qui, administraturus exinde Rempublicam, dat literis operam, debeat esse comendatior. Qua in re (si, omissis orationibus, atque operibus cæteris, quæ cùm de Rhetorica, tum de Philosophia *Tullius* egregiè conscripsit, Libros accipiamus, quos de Officiis nominavit, atque Epistolas ejusdem omnes, easque præcipuè, quas *Attico*, quas *Quinto Fratri*, quas *M. Bruto* inscripsit) præferendum haud dubiè *Ciceronem Cornelio* non affirmo solùm, verùm etiam ostendo. Et primò quidem nemo fortasse unus inficiabitur mihi longè *Tacito* præstare *Tullium* quoad priores duas Ethicæ, sive moralis Philosophiæ partes, quarum altera, quæ Monastica dicitur, ad dignos bono viro mores hominem informat; altera verò, quæ Æconomica appellatur, hominem instruit, quonam pacto bonum se aut filium, aut Patremfamilias præstare debeat. Hanc sanè partem Ethicæ utramque egregiè pertractat *M. Tullius* tum in plerisque familiarium Epistolarum, tum maximè in omnibus Officiorum libris: id verò nullibi præstat, quod ego sciam, ex professo *Tacitus*; vixque obiter tale aliquid, et, ut ajunt, in transcursu pertingit, ubi de vita Agricolæ, ac de Moribus Germanorum. Jam verò quis non videat geminam hanc Moralis Philosophiæ partem mirum in modum inservire nobis ad tertiam percipiendam, quæ Civilis appellatur, sive Politica, atque hominem maximè docet, qua potissimùm ratione aut in regno bonum Principem exhibeat, aut in Republica bonum Civem; cùm et nemo faciliùs alienos mores moderetur, quàm, qui regit suos; et [a] *plerisque*
(ut

(a) *In Vit. Agric.*

(ut egregiè in hoc *Tacitus*) *domum suam coercere haud minùs arduum sit*, *quàm Provinciam regere?* Sed, ut ad hanc ipsam veniamus tertiam Ethicæ partem, de qua nobis præcipua quæstio est , quem porrò mihi dabis , *Philander*, ex omnibus, quos admiramur, Latinis Scriptoribus civilis hujusce prudentiæ Veneto adolescenti præstantiorem Magistrum *M. Tullio Cicerone?* Fuit ille sanè Reipublicæ scientissimus, quippe qui per omnes dignitatum gradus ad Consulatum pervenerat; idque non commendatione natalium , aut affinium, amicorumve potentia, sed ingenio, sed judicio, sed meritis, ac virtutibus suis. Quid quòd habuit non familiares tantùm, sed amicos etiam, viros Romæ tunc principes, Lentulos , Catones, Brutos, Cæsares, Pompejos , ad eosque publicis de rebus tum belli, cùm pacis tempore, frequentissimas literas et dedit ipse , et sibi ab iisdem missas accepit? Quid quòd erat amantissimus publicæ libertatis, ad quam propterea vel servandam a furore Clodii, et Catilinæ , vel a tyrannide Cæsaris , atque Antonii vindicandam , vel pristinæ gloriæ restituendam sublato prorsus Triumviratu, dicta, facta, consilia omnia sua dirigebat? Hæc ferme omnia adeo elucent ipsius in Epistolis, ut mirum sit, quantum luminis, ac doctrinæ ab earum lectione, non dicam ad procurandam Patriæ salutem, sed ad augendam gloriam ipsius immortalem, Venetus Civis percipere possit. At verò , ut multa fortassis legantur in *Tacito* civilis prudentiæ documenta , ea tamen non Reipublicæ propria videntur , sed Regni. Quin malè audire apud [a] nonnullos invenio *Tacitum* , quòd crudelem , ac detestabilem quamdam Tiberii Poedian

(a) ***Vide Balthas. Bonifacium de Romana Hist. Scriptoribus, ubi de Tacito.***

dian scripserit, qua Principes scilicet ad Tyrannidem non quidem perfunctoriè, sed accuratè instruantur. Quibus ego ut minimè assentior; ita illis libentiùs accedo, qui eo nomine *Tacitum* haud immeritò culpant, quòd Principum dicta, factaque deteriorem in partem plerunque interpretetur. Et ea, ni fallor, inter cæteras causa est, cur ejusdem lectione capiantur nonnulli suopte ingenio in vitium creduli, et odio dominationis magnis Principibus infensi. Illud præterea negaverit mihi nemo, quòd, ut in rerum narrationibus non quæ facta sunt, sed quæ fieri probabiliùs poterant, exponit aliquando *Tacitus*; ita suis in animadversionibus verisimilia sæpius, quàm vera, consectetur; quo planè fit, ut delectet ille quidem, atque addicat lectorem sibi, sed ita tamen, ut Poetam subinde veriùs agat, quàm Historicum, et Conjectorem civilis prudentiæ, quàm Præceptorem. Quantò prudentior sanè, ac verè sapientior *M. Tullius*, qui non ingenio utitur pro judicio, nec vafer videri vult, sed verus! Ut ab ipsis rebus prudentiam addiscit! Ut temporibus sapienter inservit! Ut amicis consilia suggerit, quod ajunt, in arena enimvero præsentissima! Huc porrò spectâsse crediderim, dum *Tacito Tullium* præferret, Christinam illam Svecorum Reginam prudentissimam, quam relicto regno majorem, quàm gesto, longum sibi spectaculum Roma jam fecit. Dicere videlicet solebat Herois illa, in qua fortunæ muneribus adeo præstabant animi dotes, ut nihil fœminæ in ipsa præter sexum dixisses; dicere, inquam, solebat: Qui regnandi artem percipere vellet, non ad *Tacitum* confugeret, sed ad *Tullium*. Umbratilem illi Politicen esse, ac poeticam quodammodo, quæ nunquam scilicet, aut rarò admodum vel caderet in praxin, vel

usu

usu confirmaretur. Contrà isti ingenuam prorsus, ac planè germanam; et quam longus rerum usus, et continens publicæ rei procuratio docuisset. Video sanè, quid hìc objicere mihi possis, *Philander*: Delectat *Tacitus* mirum in modum, atque adeo lectorem sui blandiùs docet; cujus illud argumento est, quòd acuta maximè ipsius dicta et imprimuntur faciliùs, et firmiùs retinentur, ut nullo propterea negotio mentem instruant luculenter, cui occurrant opportunè. At verò, ut multum *Ciceronis* legatur, aut pauca admodum hærent menti, aut inde facilè omnia effluunt; quo fit, ut, siquæ sunt in ipso civilis prudentiæ documenta, in nullos ferme usus reserventur, quippe quæ minùs acuta, atque Asiatico stylo illi similia, cum ipsa quodammodo lectione transeant. Sed hìc te vellem *M. Tullii* Patronum, [a] Perroni Cardinalis Amplissime, quem dicere solitum accepimus plura te addiscere ab una *Ciceronis* pagina, quàm ab integris quatuor, ac multò pluribus Senecæ; cui tamen *Tacitum*, nec acuto dicendi genere, nec moralibus præceptis, quisquam meritò præferat. Intelligebat profectò vir doctissimus *Ciceronis* lectionem cibum planè esse, non qui fallaciter sapiat, sed qui plenè nutriat, et corpori totus accedat. Contrà Senecam (idem de *Tacito* dictum velim) cibos præbere illecebrosos quidem, ac blandè irritantes; sed qui fortassis non tam stomachum juvent, quàm palatum. Cæterùm, quod ais plura retineri ex *Taciti* lectione, quàm *Tullii*; ut ab eadem similitudine minimè discedam, et simplex, robustusque cibus, qui sanè homini utillimus, jam stomacho dimissus nihil in ore relinquit sui; et dulciaria quæ-

 dam,

(a) *Apud* Bouhurs *Maniere de bien Penser pag.* 401.

dam, aliaque id genus condimenta, quibus ingenuas dapes violamus, quanquam jam mansa, ac penè digesta, adhuc sapere palato videntur. Sed, ut hæc minùs probes, illud certè crediderim in causa esse, cur plerisque parum *Ciceronianæ* lectionis retineatur, quòd videlicet scholasticum extra pulverem parùm ab illis *Cicero* legitur, aut ne vix legitur quidem. Quid enim memoriæ non reponat, in omnes Reipublicæ usus peropportunum, qui longo *Ciceronis* studio teneatur, eumdemque (quod fit de *Tacito*) nocturna, ut ajunt, diurnaque manu versare non desinat? Amat ille scilicet egregia ad optimum formandum Provinciæ Præsidem documenta? Legat *libri* 1. *Epist.* 1. ex iis, quas *Tullius* inscribit *Quinto Fratri*. Vult imaginem optimi Civis, cui potior sit Reipublicæ incolumitas privatis amicorum utilitatibus? Legat *libr. 9. epist. item 9.* ex iis, quas *Attico* dedit. Quærit exemplar liberi pectoris, animique germanè Romani? Legat vigesimam ex iis, quæ *Bruto* inscribuntur; quanquam ipsa ad *M. Tullium* scripta sit ab eodem Bruto. Quid prudentius enimvero, sapientiusque *libr.* 8. *epist.* 3. ad eumdem *Atticum*, ubi difficillimis Reipublicæ temporibus plena periculis omnia consilium, ac mentem omnem eripuisse videbantur? Quid amicius, si fas est dicere, atque amantius, ut tamen decet et virum bonum, et optimum Civem, *epistol.* ex *Familiaribus* 4. supra vigesimam *lib.* 9. ad *Papirium Pætum*, qua nil non facturum se pro amico pollicetur intra curam Reipublicæ, ac Patriæ caritatem? Quid solicitiusnè dicam, an animosius *epist.* item ex *Familiaribus* 3. ac trigesima *lib.* 10. ad *Asinium Pollionem*, qua nec deesse se, nec superesse Reipublicæ velle testatur? Utinam per tempus, ac memoriam liceret alias id genus epistolas

las in medium afferre, innumeras planè, easdemque in rem nostram maximè opportunas! Non alium sanè Veneto Civi præstantiorem Reipublicæ magistrum, quàm *M. Tullium*, vestrum quisque fateretur.

Desierat *Hellenicus*; cùm omnes, qui dicentem intentiùs audieramus, fassi planè sumus non alium fortasse *Tullio* contingere potuisse Patronum meliorem, et similem magis ipsi. Id porrò, ut verum fatear, dicturo mihi difficiliorem provinciam fecit; quippe qui *Tacitum* viderer haud satis posse defendere, nisi *Tullium*, quod religioni mihi erat, accusarem. At, ratus exinde non ultra cutem imprimi vulnera *Tacito* posse, malui clypeo uti, quàm gladio; et: nonnulla, reposui statim, vel mihi suppetunt, *Hellenice*, contra *Tullium*, quæ tamen vix a me recensentur, non ut altiùs efferam *Tacitum*, illo quodammodo subjecto; sed ut ostendam vel *Tullio* fortasse satis negotii futurum dicturo nunc temporis pro Domo sua. Memineris velim, quid de ipso scribat ad Atticum M. Brutus; ut hominis cæteroqui Reipublicæ amantissimi, si non voluntatem, judicium certè in re maxima desideres. Non dicam tamen de *Tullio*, quod *Brutus* ipse, qui eum probè nôrat, asseruit: (a) *bonum quidem illum Civem fuisse, sed, dum haberet, a quibus impetraret, quæ vellet, et a quibus coleretur, ac laudaretur, servitutem, honorificam modò, non aspernantem*. Dicam tantummodo, quod et *Brutus* idem jam præviderat, et alius quisque postea intellexit. aberrâsse (b) toto Cœlo *M. Tullium*, dum civilium bellorum tempore Octavium extulit, ut deprimeret Antonium. Quid fuit hoc aliud, quàm non auferre dominationem, sed domi-

 num

(a) *Epist. ad Brut. 21.* (b) *Epist. 20.*

num mutare; remque publicam eò adducere, ut iisdem postea *Octavio*, atque *Antonio* in communem perniciem convenientibus, nec *Cicero* superesset libertati, nec libertas *Ciceroni*? Sed nullius momenti sint ista, quippe quæ *Ciceronis* fortasse magis improbent vitam, quàm doctrinam. Ad *Tacitum* venio, cui illud, nî fallor, objiciebas primò, *Hellenice*, quòd quæ spectant ad Monasticam, atque OEconomicam, de iis scilicet vix cursim *Tacitus*, nunquam agat ex professo. Ut id primò concedam tibi, quid inde porrò contra *Tacitum*? An non quosdam accuratior sui cura aut capaces minùs imperii reddit, aut aspernantes, et subinde Consules videre est ([a] quod de *Hirtio*, ac *Pansa* testatur *Tullius*) viros quidem bonos, sed bonos tantùm? An non optimus sæpe Paterfamilias ineptissimum exhibet Urbis Præfectum: seu quòd studio rei familiaris aut negligat publicam, aut prodat; seu quòd mentem habeat parem tantùm domui suæ, illamque extra aulam imperio minorem? At inserviat Monastica, ut vis, atque OEconomica Politicæ nostræ, quando eidem alia quoque multa auxiliari videmus, de quibus tamen neque *Tullius*, neque *Tacitus* ex professo unquam disputavit. Quàm nullius tamen momenti argumentum est apud me tuum! Plura videlicet *Tacitus* exemplis docet, quàm *Tullius* præceptis; ac vitam meliùs, familiamque componit alienis moribus, quàm legibus suis. Alius fanè nemo aut publicas aulas exploravit feliciùs, aut privatas domos accuratiùs introspexit: non tam Principes scilicet expendere solitus, quàm homines, et qualis esset demum quisque non in Republica tantùm, sed etiam in familia. Illud prætere-

rea

(a) *Epist. 7. ad Brut.*

rea objiciebas *Tacito* majoris fortaſſe in ſpeciem momenti: quòd civilia ipſius præcepta Regno magis congruerent, quàm Reipublicæ: perinde quaſi non utrique veriùs illa conveniant, ſeu quòd ſolam ſpectent in genere dominationem, ſeu quòd multa, quæ regno conducunt, expedire vel Reipublicæ videantur. At formet in multis *Tacitus* Regem magis, immo ſi libet, etiam Tyrannum, quàm liberum civem: annè iſti propterea perutilem lectionem *Taciti* inficiabimur? Quid utilius ſanè libero civi, quàm, dum expendit, quonam pacto Rempublicam nulli ſecundam Reges improbi deleverint, addiſcere ſimul, quanam potiſſimum ratione Rempublicam ſuam boni Cives ſervare debeant? Ad hæc accedit, quòd non minùs in regno, quàm in Republica, facilè intelligas, et quæ plebis ingenium libertas deceat, et quam populus pati poſſit ſervitutem: quòd ex moribus, atque artibus præteritorum regum futuri reges magna ex parte dignoſci poſſunt: quòd arcana regnantum conſilia, quòd falſi vultus aulicorum, quòd inſtabile demum, ac lubricum aulæ; quæ omnia callidiſſimè, ſi quis alius, ſcrutatus eſt *Tacitus*, publicum hominem erudiunt apprimè, ſi minùs quid ipſe debeat facere, at certè quid in aliis aliquando cavere, nunquam non intelligere. Cuinam verò explorata hæc habere, atque perſpecta, expediat magis, quàm Venetis Civibus; quibus cùm exteras ad Aulas, tum patria in Curia, non de ſuis tantùm rebus negotium ſit, ſed de communibus fatis Europæ omnis, atque adeo totius Orbis terrarum? Cæterùm, quæ *Tacito* nonnulli objiciunt, malignitatis, atque invidiæ crimina, majoris fortaſſe negotii tibi ſit probare, quàm mihi refellere. Non agit ille Tyrannorum Didaſcalum, ſed Hiſtoricum; quoſquè nec

 bene-

beneficio, nec injuria noverat, Tiberios, Caligulas, Nerones, descripsit quidem Posteritati; at non eidem commendavit. Quin egregiam propterea sibi laudem exposcere videtur, (a) *ratus*, ut ait ipse, *præcipuum munus annalium, ne virtutes sileantur, utque pravis dictis, factisque ex posteritate, et infamia metus sit*. Nec dandum illi vitio puto, quòd factum, dictumvè aliquod deteriorem in partem dubitantis in morem interpretetur; quid enim faciat prudens historicus, cui de auctoris animo minimè constet? Inesse præterea malignitatis species quædam videtur libertati, et ubi maximè virorum principum mentem interpreteris, aut obtrectator facilè audias, aut falsus. Illud verò negare non ausim ad Poetam in multis accedere *Tacitum*; cùm ipse quoque, quod Poetarum scopus est, et prodit, et delectet. At sequitur in multis verisimilia, atque adeo insigniter peccat, cùm nihil magis officiat vero, ut ajebat (b) ille, quàm quod est ipsi maximè simile. Hic a te quæro, *Hellenice*, an id *Tacitus* præstet in narratione rerum gestarum, an verò in additione civilium animadversionum? Si primum velis, malus fortassis Historicus est *Tacitus*; cùm fides in ipso, ac veritas illa desideretur, quæ ab Historicis præcipuè requiritur. At id scilicet nihil facit ad rem nostram. Si vero affirmes alterum, optimus enimvero, quod nunc quærimus, Politices magister est; quippe qui suis in præceptis id maximè spectet, quod accidit plerunque, hoc est Verisimile. Quare haud multùm sanè moveor auctoritate Svevicæ Heroidis, quam tot laudibus in Cœlum extollis. Mallem enimvero Regis judicium de *Tacito* attulisses, quàm Reginæ.

Certè

(a) *Annal.* 3. (b) *Virg. Malvetius.*

Certè Cosmus ille Medices, primus Etruriæ Magnus Dux; qui et Posteris suis Principatum reliquit, quem a Majoribus non acceperat, et eam, quæ vulgò Fortuna dicitur, in consilio, ac prudentia consistere asserebat, *Taciti* libros in deliciis habuit, eorumque lectione avidissimè fruebatur. Quid dicam de [a] Paulo Tertio; ut opponam, *Hellenice*, Pontificem Maximum Cardinali Perronio tuo, quem tamen nihil unquam contra *Tacitum* dixisse legi? Intelligebat planè senex ille sui temporis sapientissimus, quique prudentiâ suâ non ipse tantùm ad solium pervenit, sed suam etiam posteritatem evexit, quanti *Tacitus* esset; eumque propterea sæpius relegendo contriverat, neque profanum Scriptorem ullum æquè libenter legebat! Sed quid extera ad exempla confugimus, cùm Veneta nobis abunde suppetant? Accipite, quæso, si tamen ea bene memini, verba peregrini Scriptoris, qui ad *Taciti* defensionem Veneta præcipuè auctoritate sic utitur, tam infra adulandi suspicionem, quam longè a necessitate? [b] *Hunc heroica vestra*, (ait ille) *Veneti Proceres*, *Diis proxima sapientia vocat Signiferum criticæ historiæ*, *Parentem humanæ prudentiæ*, *Politicorum Magistrum*, *Coryphæum Scriptorum*, *quicunque ad illud gloriæ fastigium pervenere*, *ut in eorum lucubrationibus plura sint propè documenta*, *quàm versus*, *et plures penè sententiæ*, *quàm verba* ......; *cùm præterita*, *quod est historici*, *ita commemoret*, *ut futura*, *quod est sapientis*, *prævideat*, *præmonstret*, *excutiat*. Hactenus ille; et jure quidem, ut mihi videtur, ac meritò. Vin' huc adducam, *Hellenice* dicta *Taciti* aliquot, quibus tamen sit, pretiosissimis ut cibis,

(quan

(a) *Muret. or. 13.* (b) *Balthas. Bonifac. ibid.*

(quando eadem tu quoque pro *Tullio* similitudine usus es) plurimum succi, minimum molis? Quid illo sanè utilius, ac dignum magis, cujus meminerint, quibus est populi regimen, ac plebis cura? [a] *Nihil in vulgo modicum; terrere, nî paveant; ubi pertimuerint, impune contemni.* Quid illo acutius, quod enuntiat ore Vitelii deliberata jam morte ferocioris? [b] *Plura de extremis loqui pars ignaviæ est: præcipuum destinationis meæ documentum habete, quòd de nemine queror. Nam incusare Deos, vel homines, ejus est, qui vivere velit.* Quid illo brevius, et ad dignoscendam fœminæ principis sapientiamnè, an ambitionem, opportunius, quod de Livia scribit Tiberii Matre, Augusti conjuge? [c] *Mater impotens, uxor facilis, et cum artibus Mariti, simulatione filii bene composita.* Quid illo prudentius, et ad magna contendentibus expendendum magis? [d] *Esse privatis cogitationibus progressum, et, prout velint, plus, minusve sumi ex fortuna: imperium cupientibus nihil medium inter summa, et præcipitia.* Quid illo nobilius, atque elegantius, quod de moribus veterum Germanorum testatur? [e] *Nemo illic vitia ridet; nec corrumpere, et corrumpi seculum vocatur.* Quid illo verius, et cui fidem frequentiùs faciat experientia nostra? [f] *Inter impotentes, ac validos falsò quiescas: ubi manu agitur, modestia, ac probitas nomina superioris sunt.* Quid illo ingeniosius, quod asserit de Agricola suo, ad Britannos imperio Romano conciliandos, porticus illis, ac balnea, et convivia adornante? [g] *Idque apud imperitos humanitas vocabatur, cùm pars servitutis esset.* Quid demum tot aliis aut grandius, aut speciosius, aut verius? [h] *Quibusdam*

(a) *Hist.* 1. (b) *Hist.* 2. (c) *Annal.* 5. (d) *Histor.* 2. (e) *De Moribus Germ.* (f) *Ibid.* (g) *In Vita Agric.* (h) *Histor.* 2.

dam fortuna pro virtutibus fuit: (a) *Pessimum inimicorum genus laudantes:* (b) *Omne ignotum pro magnifico est:* (c) *Impunitatis cupido magnis semper conatibus adversa:* (d) *Plura sæpe peccantur, dum demeremur, quàm dum offendimus:* Ut omittam alia id genus penè innumera, digna profectò singula, quæ eminerent, nisi inter paria legerentur. Sed jam tædet prolixiùs defendere, quem libet utiliùs admirari. Habeat sanè *Tacitus* vitia sua penes Grammaticos, criticum genus, et in minimis ambitiosum. Quid dicam ad hæc? Utinam liceret mihi sic esse vitiosum! Habent enimvero vitia illa amatores sui, habent etiam patronos, et quidem doctissimos viros, ac prudentissimos; ut ambiguum sanè sit, an tanti essent contrariæ virtutes. Hic videlicet, si alibi unquam, illud facere crediderim Quintiliani: (e) *In quibusdam virtutes non habent gratiam, in quibusdam vitia ipsa delectant.*

Hæc ego postrema enuntiâram irascenti propior, quàm disputanti; cùm mitiori mox vultu, atque animo, ut fit plerunque, dum æmulationi succedit humanitas, *Hellenicum* rogavi; an vellet ulteriùs nostram uterque causam peroraremus. At ille, cui semper intra modestiam ingenium steterat: Satis, inquit, superque digladiati hodie sumus. Plura fortassis in aliam diem. Non a longa tantùm disputatione, sed ab ipso etiam Sole calescimus; qui minores umbras efficiens eò nos ire compellit, ubi meliora haud dubiè subsellia Academicos jam imbecilles, ac prorsus jejunos expectant. Ergo, sine disputandi facto, causæ nostræ judicium, quod supererat unum, amicos auditores rogavimus. Illi primò recu-

(a) *In Vita Agric.* (b) *Ibid.* (c) *Annal.* 15. (d) *Annal.* 15. (e) *Instit. orator. l.* 11. *c.* 3.

recusare, ac sententiæ periculum obtendere; cùm et utrique causæ rationes suæ militarent, et suus utrique Patronus bonæ causæ faceret argumentum. At rogati ulteriùs, ut amicitiæ, atque ingenii libertate uterentur, nec enim eorum judicium capitale nobis futurum, quibus, ut accidit in plerisq, disputationibus, non ex conscientia conveniendum erat, sed ex humanitate: Unus, atque alter videri sibi pronuntiârunt, Veneto Civi probandum magis in Foro *Ciceronem*, in Cubiculo *Tacitum:* tertius malle se dixit doctrinam *Taciti*, stylum *Ciceronis*. At, qui supererat, quartus, reliquis ætate grandior, et Veneta in Urbe diutiùs commoratus, ut cogitabundum diu silentium tenuit; quasi œstro quodam correptus, in hos tandem sensus exsolvit:

Quis Venetæ Pubi Tacitum, Cicerone *relicto*,
Prælegat imprudens; aut nil commune sonanti,
Totus amans Tullî, Tacito *vetet addere mentem?*
Libertas utrumque probat; consultus uterque
Romanos fingit mores, ac pectora format
Imperio, et mentem præceptis grandibus implet.
His similes, plenosque auctoribus Adria Patres
Ipsa suos jactat: numerone, an pondere vincat,
Ambiguum est: tot habet facundæ robore linguæ,
Consiliique pares; ut in uno augusta Senatu
Ostendat plures (nulli unquam obnoxia Regi,
Si finis hoc uti, Libertas, *nomine) Reges.*
Exul ab Ausoniis dudum Facundia Rostris
Imperium Adriacis, patriamque invenit in undis;
Crimen ubi veteris reparans cum fœnore fati
Nobiliùs Româ gaudet regnare secundâ.
Illam equidem et Latium suspensis vocibus, illam
Auribus erectis admirarentur Athenæ
Flexanimem, et toti ponentem jura Theatro:

Seu

Seu libeat veteres Patriæ defendere ritus,
Et mores servare suos; seu publica rursus
Expediat proferre novas in commoda leges,
Et certam populo mentem suadere Senatus.
Illa vel accensas odiis immanibus iras,
Grandiaque insani victrix incendia Martis,
Fluminis in morem, aut labentis ab æthere nimbi,
Extinguat; Regumque animos, inimicaque fingat
Pectora, sollicitæ nectens in fœdera pacis.
Illa quoque et dubia palantes Urbe tumultus,
Et motus plebis varios, populariaque arma
Componit, meliùsque vetat. Quin, improba rerum
Siquando Fortuna ausus eludat inanes,
Adriacamque fidem, roburque immobile tentet,
Imperium Patriæ, libertatemque tuetur
Major in adversis Facundia. Tullius *arces*
Tunc parat, et classes: simul invenit, & facit idem
Indociles regni mentes, et pectora magnæ
Larga animæ, Brutos alios, aliosque Catones;
Quorum facta tamen Deus, et sua causa secundet.
Nec minùs Adriaci moderatur fræna Senatus
Cornelius*; sed amans Fidei, Justique, Piique*
Assertor, Cœloque probans sua jura patrono.
Proh! quàm maturas, et rerum pondus habentes
Enumerat voces! Ut, fallere nescius idem,
Ac falli, dubiis oracula certa ministris
Fatidicas ultra Quercus, Tripodasque profatur!
Ut tacitas Solio ineas, odiumque perenni
Amovet imperio; et Populos optata volentes
Fræna manu facili, quà lex vocat obvia, ducit!
Ille et regnorum interitum, et bella aspera Regum,
Et dubiæ fata Europæ, momentaque rerum

Expen-

Expendit, trepidos solers avertere casus.
Ille tibi (et pridem Adriaci servata Leonis
Auspiciis, et nunc, quantùm licet) Itala Tellus,
Sollicitam impendit mentem, ac præsaga futuri
Consilia, et magna mundi pro pace laborat.
Atque utinam maneat vestras ea gloria mentes,
(Spero equidem maneat) Veneti decora alta Senatus,
Illustres Animæ; quibus in sua fata ministris
Italiam nobis Superi, pacemque tuentur!
At pacis quò me ardor agit! Placet entheus error,
Forsan et omen habet: Magnæ Pax filia mentis.
Nec tantùm Romana sedens prudentia vicit:
Sæpius et Veneti Patres vicere sedendo.
Usque adeo Tacitus cunctis feliciùs armis
Judicio pugnat. Non est Victoria dextræ
Præcipuum, sed mentis opus; studioque paratur,
Non gladio: tuaque, Adriaci Regina profundi,
Scilicet incerto major Prudentia fato
Anxia sollicitæ ridet ludibria sortis;
Fortunamque sibi facit, et non indiget illâ.
Vos adeo, gemini studiisque, et moribus uno
Rhetores e ludo: quando jactatis eidem
Mixtum oneri decus, et curæ communis alumnos,
Egregiam tandem, me judice, solvite litem.
Vincat uterque Urbi, cui totum impendit uterque
Certatim ingenium; et vestræ quoque munere linguæ
Tullius, ac Tacitus Venetæ sit gloria Pubis.

Hæc cùm ille dixisset magno audientium plausu, statim inde surreximus, ac pedibus omnes in eamdem sententiam ivimus. Quanquam, ut verum fatear, idem ferme vel antea *Hellenicus*, atque ego sentiebamus; atque alter *Ciceroni* studio majori faveret, *Tacito* alter,

ter,

ter , intelligebat uterque tamen Veneto Civi , qui ad Rempublicam maturus accedere vellet , et *Tullianum*, ut ita dicam , opus esse *Tacitum* , et *Cornelianum Ciceronem*.

Hæc habui, quæ utcunque præfarer N. N. communi nomine Rhetorices nostræ, multò sanè felicioris , quòd plures habeat in vobis Patronos , quàm in nobis Didascalos: ratus haud dubiè futurum , ut vestræ humanitatis esset non tam audire bonam Prolusionem , quàm facere. Illud jam superest , ut communi item nomine non tam præsentes alloquar Alumnos nostros, quàm futuros ; eosque maximè , quos claritas generis , ingenii nobilitas , ac spes Reipublicæ mirum nobis in modum commendârunt. Ergo pergite, ut facitis , *Adolescentes Optimi* , liberalibus studiis fortunæ , Patriæque vestræ nobilitatem ostendere. Habetis equidem vel Domi magnam prudentiæ , doctrinæque gymnadem , satis amplis præceptoribus instructi Majoribus vestris. Sed videlicet, quando nos quoque in partem oneris hujusce, atque adeo honoris vocamur : quando in vestra decora nostra omnis , quanta est , desudat industria , probate Parentibus, ac Magistris, quanti sitis. Sperare quidem utrisque fas est futurum aliquando , ut conceptam de vobis expectationem facta vestra transcendant; eosque, quos in Schola nunc promittitis , *Tullios* , ac *Tacitos* Reipublicæ exhibeatis.

CICE-

CICERONIANOS
INTER,
AC SENECIANOS
CONSTITUTA TANDEM PAX.
Sive
DE STYLO
CICERONIS, AC SENECÆ,
Ex Eruditorum Judicio,
QUID SENTIENDUM SIT;
Et quæ recta, quæ præpostera, Utriusque Imitatio.
PROLUSIO
IN INSTAURATIONE STUDIORUM
Veronæ habita,
ANNO M.DCIIC.
EDITIO AUCTIOR.

Illustrissimo Viro, Marchioni

JOANNI LUCÆ DURATIO

JOANNES ANTONIUS BERNARDI S. J.



Aucis te volo, MARCHIO ILLUSTRISSIME; *neque enim mihi, rebusque meis, quæ humanitas est, ac benignitas tua, vel quærendus ad te, vel expectandus est aditus. Quæ* CICERONIANOS *inter, ac* SENECIANOS *haud ita pridem ab Apolline constituta est, descriptam hìc habes a me Pacem: haud ingratum fortasse munus ingenio, ac judicio tuo; veteris certè erga te obsequii, amorisque mei monumentum qualecunque. Utrumque istud testari palam, idque ex animo, ac sine fuco, nunc liceat, ita impressum mihi imo*

 pecto-

pectore, nedum [a] alta mente repostum, *ex quo nimirum Parmensi Nobilium in Collegio auditorem te tum literarum humaniorum Magister, tum Philosophiæ Hypodidascalus habui; nulla ut temporis, ac locorum longinquitas aut abolere potuerit, aut parte ex aliqua obliterare. Neque id in me factum crediderim (quod in Parentibus subinde contingit; haud rarò & in Præceptoribus) ex affectu veriùs, quàm ex judicio; aut ex judicio quidem, sed quale plurimorum est, expendentium plerunque in homine, quæ extra ipsum sunt, et, quod ajebat ille,* [b] fortunæ munera pro virtutibus. *Nobilitas generis in præclarissima Republica; cognationum splendor, atque affinitatum; divitiarum affluentia, cæterorumque fortunæ bonorum; aliaque hujusmodi bene multa, quibus in omnibus plures habebas tibi similes Convictorum tuorum, non ea sanè apud me erant, quæ*

te

(a) *Virg. Æneid. lib. x.* (b) *Tacit. Annal. lib. 16.*

te pluribus illorum anteponerent. Id præstabant videlicet egregia naturæ, virtutisque decora; eaque in primis prudentia, et studiis in omnibus constantia, quæ, ut suam togata jam in ætate laudem habet, ita singularem prætextatis in annis admirationem. Fatendum quidem mihi vel nunc est (quod non alii tantùm tunc temporis, sed et ipse mihi gratulabar summoperè) insignes hac etiam laude haud paucos fuisse Discipulorum meorum, non tam generis, quàm morum nobilitate, adolescentes enimvero lectissimos; & in his maximè concives tuos, quorum suavissima nunc etiam mihi recordatio est, CATTANEOS, PINELLOS, SALUTIOS *: utque alios omittam*, JOANNEM LUCAM DURATIUM *alterum; quem deinde, post absoluta Romæ Philosophica studia, vocatum a Deo in Societatem nostram nec Romanæ aulæ splendor, nec paternæ fortuna domus, nec senioris, quod longè majus est, amor Pa-*

 tris

tris retardare potuit; quominus, tum Fratris exemplo, tum aliorum, qui præcesserant, Consanguineorum, atque [a] HIPPOLYTI *in primis, viri quondam apud nos et laude doctrinæ, et vitæ sanctitate conspicui,* [b] ad vexillum Crucis, *ut Hieronymi verbis utar*, evolaret. *Sed, quanquam illis omnibus condiscipulis tuis communis fuerit, ut esse solet Genuensibus Patritiis, ea vis ingenii, ac judicii, quam ætate majorem in te ipse suspiciebam; fatebuntur ipsi tamen fuisse tibi propè singularem. Et sanè mutatâ tantùm personâ, quidquid eras olim in Schola, pergis esse, ut ita dicam, nunc in Patria; nisi quòd ab experientia prudentior, moderatior in libertate, inter ætatis, ac seculi pericula ita incedis, vestigiis inhærens Majorum tuorum; ut, cùm magnæ nobilitatis, ac fortunæ dignitatem sustineas, licentiam tamen,*

(a) P. *HIPPOLYTI DURATII* S. J., *cujus vita habetur typis impressa*

(b) *Ad Heliodorum Ep. prima.*

men, et adrogantiam effugias. Hoc etiam de nomime non alium malui Rhethoricæ Prolusionis hujusce Mæcenatem, quàm, quem Rhetorices apud me Candidatum, auditoremque olim meum, et aliis ostendere nunc possum, et mihi maximè gratulari. Ut plura mihi, quæ de te prædicem, occurrant hìc in rem meam; non est tamen, quòd te pluribus morer, MARCHIO ILLUSTRISSIME: *tum quòd certò sciam ingratum maximè tibi esse sonum illum laudantis, quem ex omnibus concentibus suavissimum sibi Atheniensis Themistocles fatebatur; tum quòd fore facilè sperem, ut gratum sit non humanitati tuæ tantùm, auctoris obsequium, sed etiam ingenio argumentum Prolusionis. Illud unicè te monitum velim, quod ex facili tamen per te ipse intelliges: insignium videlicet Scriptorum sententias, ac verba, frequentiùs hìc a me proferri, quàm mos sit in hujusmodi Prolusionibus; non quòd eam affe-*

ctem

ctem eruditionis pompam, quæ nec hominis modesti est, nec ingeniosi; sed quòd ita ferat operæ pretium, et necessitas argumenti. Ut enim quosdam jure ridemus, ac sæpe contemnimus, qui pro arbitrio tantùm suo tradunt aliis bene dicendi pręcepta, et quidquid amant, *quod ajebat Augustinus,* volunt esse veritatem: *ita, ut in re simili abessem longiùs ab erroris periculo, atque invidię, nihil admodum docere volui, quod non & ipsa per se ratio probaret, & illorum maximè confirmaret auctoritas, qui vulgò habentur bene dicendi Magistri, &* excellentes, *ut dicitur*, in arte *seculorum omnium judicio comprobantur.*

PROLUSIO.



Dsum vobis ex hoc iterum loco, non ut anno superiori, (a) interpres ullius belli; sed exactæ nuper pacis narratornè dixerim, an veriùs gratulator, N. N.? At non ea mihi de (b) Pace sermo est, quam Europe ferme omnis, continentibus tot annorum bellis laborans, oravit huc usque; nunc tandem exoravit. Hæc videlicet non unos tantùm pax Rhetores tangit, aut quidquid ubique est hominum dumtaxat literatorum. Ut omnium propè, quot universa in Europa sunt, negotium hominum est; ita fœderatas quodammodo mentes omnium, ac voces, in sui laudem, prædicationemque vocat. Aliam ego vobis Pacem affero, N. N., eamque gaudium vobis præcipuum, ac singulare allaturam; quippe quæ, Apolline tandem auctore, CICERONIANOS inter, ac SENECIANOS constituta sit, quorum pars aliqua et ex vobis plures, ut viri dicendi laude clarissimi, aut nunc estis etiam, aut aliquando certè fuistis. Expetenda quidem pax hæc magis videbatur, quàm expectanda; quis enim fore sperâsset unquam, ut eos aliquando certa pax jungeret, quos dissimilium planè Scriptorum amor, atque orta inde æmulatio, contrarias veluti in acies jampridem distraxerat? Ad hæc illud etiam accedebat, quòd, ut acriùs calamo pugnatur, quàm gladio, neque ingenio faciliùs, quàm manu, ce-

(a) *Argumentum Prolusionis, quam auctor habuerat superiori anno, erat:* Militia est vita homini super terram.

(b) *Alluditur ad pacem inter Christianos Principes, paucis antè mensibus* Resvikii, *ut vulgò dicitur, in Hollandia constitutam.*

ceditur: ita nulla difficilior fortassis, quàm Literatos inter, pax est; quos nimirum videmus plerunque, vel cùm arma ponunt, prohiberi veriùs bellum gerere, quàm volentes in concordiam ire. Sed erudita, quam dicebam modò, Literatorum æmulatio Apollinis dicto, atque imperio, aut cessit tandem bona fide, aut cessisse potuit certè, ac visa est; neque pars alterutra pacem ægrè tulit, tanquam alterâ minor, cùm, illo judice, parem utraque laudem vel in diverso dicendi genere consequi posse speraverit. Vos pro ea humanitate, quæ tam magna, cùm vestra sit, quàm quæ maxima, est, bonas mihi aures adhibete; dum rem omnem paulò longiùs, atque ab ovo, ut adagio fertur, ad mala usque vobis expono. Novam ego fortasse personam nobilissimo juxtà, ac eruditissimo cætui huic vestro exhibebo. Historicum aliquem expectatis, ut video, vel Poetam, vel Rhetorem certè. Ego verò Protheum vobis agam, ac Vertumnum; aut tale aliquid, quod neque dedeceat Rhetorices Professorem, et huic, quod agimus, Bacchanaliorum tempori apprimè congruat. Vos me tamen, si lubet, ut Apollinis Antistitem, sive Nuntium, accipipite; et quidquid loquar ab illius sacrario literati Numinis interpres,

(a) *Credite me vobis folium recitare Sibyllæ.*

Etsi desierit apud nos tandem, neque in usu ampliùs sit, nisi apud imperitos fortasse quosdam, corruptum maximè dicendi genus, ac vitreo quodam vel fulgore splendidum, vel mucrone acutum, quod ab annis pluribus invaluerat passim apud Oratores etiam, ac Poetas magni nominis; nondum tamen, si eruditis nonnullis

(a) *Juvenal. Sat.*

lis credimus, quibus ingenuum, ut dicunt ipsi, palatum est, ac germanè Romanum, aut loquimur sine vitio, aut nomen Eloquentium meremur. Regnare passim tum apud Gallos, tum apud Italos Scriptores nostros, Elocutionem quamdam, non quidem vitream, ut Avorum nostrorum tempore, ac malè fucatam; sed in qua tamen speciei plus sit, quàm succi, plus coloris, quàm sanguinis. Posteriores isti, quòd ad *Senecam* accedant magis, quàm ad *Tullium*, quanquam in eodem dicendi genere dissimiles inter se specie sint, *Seneciani* appellantur: priores illi contraria ferme de causa *Ciceroniani*. Viros insignes, atque optimè meritos de literaria Republica pars utraque numerat; neque utrique desunt ex veteribus Patroni, quibus suos in hostes uti possint recentiores ipsi, vel ut exemplo, vel ut clypeo. Hoc ipsum tamen fuerat huc usque fomes præcipuus civilis belli; cùm enim ea hominum natura sit, ut, quidquid amant, etsi per se ipsum minimè sit, bonum tamen esse velint, ne vel falsos se fateri cogantur, vel malos; tunc enimvero tuentur acriùs, ut sanos, ac viris sapientibus dignos, amores suos, cùm eos possunt sapientiorum judicio, atque exemplo apud alios probare. Ergo utrosque audire erat disceptantes subinde pro domo sua, tanquam communi Literatorum causæ perorarent; idque præsertim, cùm aut alterum diversæ partis, cujus a pluribus oratio probaretur, dicentem ipsi audivissent; aut aliquem diu alloqui hac de re posent neutri partium addictum, ut in suam illum paulatim ducerent, ac, velut aliud agentes, pertraherent.

In hanc ferme sententiam loquebantur *Ciceroniani*. Dolendam maximè nostrorum temporum calamitatem, quibus, ut plus eruditionis vagæ, ac promiscuæ, quàm soli-

solidæ, robustæque doctrinæ; ita exquisitæ loquentiæ multum, parum admodùm Romanæ eloquentiæ. Eamdem ferme, in adolescentibus præsertim, elocutionis, ac morum elegantiam, seu corruptionem veriùs; cui videlicet honesta ideo nomina obtendantur, ut, non quod licet, decere videatur, sed quod libet. Quam enim aliam studiorum suorum rationem plerique prætexunt, et orationis in primis fractæ, imbellis, et tantùm cum vitio jucundæ; quàm quæ vitæ planè similis afferri ab aliquibus solet, cujusmodi ferme sunt, qui junioribus quibusdam fœminis familiarius idcirco obsequium profitentur, quòd sapientiam in illis, ac virtutem admirantur. Nimirum, si gravior ab annis, et moribus hæc virtus eadem accederet; hæc eadem sapientia si longè major, ac securior, virili vultu, atque animo adesset; adeo neutra humanitatem inter illos, atque obsequium inveniret, ut veriùs utraque fortassis hominem quæreret. Hinc Eloquentiam, ut gravior emineat, ac fortior in *Tullio*, et digna prorsus Romano Consule, mollem in *Seneca* amari, ac dissolutam, et qualis Neronis aulæ probari posset, adolescentis, et effœminati. Hinc passim *Senecam* diligi, *Senecam* legi; aliosque, quod longè deterius est, recentiores *Senecæ* Simiolos quosdam, qui alia omnia ipsius habeant præter virtutes. *Tullium* contrà, si literarias Palæstras excipias, ubi rudibus adhuc pueris explicatur, neque prorsus intellecturis Rhetorices Candidatis, jacere apud plures otiosum, ac neglectum, tineisque dumtaxat, ac pulveri celebrandum relinqui. Quotum enim quemque vel ex iis, quos in urbibus monstrari videmus, tanquam sapientum Coryphæos, et censores Oratorum, reperire sit, qui plus unâ, alterâve *Ciceronis* oratione legerit; qui epistolas ad Atticum omnes; qui Tusculanas Quæstiones,

nes, qui elegantiſſimos de Officiis libros, qui alia *Marci Tullii* plura, non dicam diurna, nocturnaque manu verſaverit, ſed vel obiter tantùm, et oculo, quod ajunt, tranſeunte percurrerit? Inde *Tullium* pleriſque neſciri magis, quàm non probari; neque enim fieri unquam poſſe, ut illum quis intellexerit, neque idem ſummè laudaverit. Quanquam hæc eadem, quæ *Marci Tullii*, veterum Scriptorum propè omnium eruditos apud plures fortuna ſit; quibus nimirum doctrinæ ſuæ grande piaculum videatur recèns editos libellos quoslibet non evolvere, ac de illis ſtatim, ſi rogentur, non poſſe rationem reddere; nulla contrà religio ſit veteres illos terrarum magiſtros, non intus dumtaxat, et in cute, ut vulgò dicitur, ſed etiam de nomine ignotos habere. Hac etiam de cauſa umbratilem in multis, ac ſuperficiariam, ut rerum aliarum ſcientiam, ita dicendi vim, ac facultatem videmus; quî enim conſequi poſſimus, ut aquæ plurimum, et quidem purioris, noſtros in uſus derivetur, ſi neglectis videlicet fontibus rivulos tantùm conſectamur? Hæc in *Senecianos*, aliaque hujuſmodi plura, *Ciceroniani* quidam ſupercilii ſeverioris, & antiquæ diſciplinæ. Reipublicæ nempe cauſam tueri ſe credunt, ſtare illos pro ſeditione; atque adeo nullas pacis conditiones admittendas cenſent, niſi fortè vis, ac fortuna victoriam hoſtibus deſpondeant.

At contrà, non tam minùs fortes, quàm feroces minùs, *Seneciani* optimam aſſerebant bene dicendi regulam, vel ipſos apud *Ciceronianos*, ita demum dicere, ut auditoribus perſuadeas. At verò perſuadere quis poſſit, niſi doceat idem, ac placeat? Placere autem quiſnam aliis contendat pro arbitrio tantùm, ac palato ſuo? In hoc maximè ſpectandum auditoris ingenium, atque affectum; et

juxta

juxta utrumque ita illi accommodandam orationem, ſicut ægro medicinam. Se quidem *Tullium*, quantùm deceat, imitari in pluribus, in omnibus admirari, quanquam probè ſciant ne inter veteres quidem defuiſſe, qui ejus ſtylum minùs probarent, vel ut minimè doctum, vel ut accuratum nimis, vel ut plùs æquo redundantem. Sed fuerint præterita ſecula *Ciceronis*. *Senecam* illi ſeculum noſtrum anteponit, non quidem ut majorem, cùm ſatis habeat parem non negari; ſed ut aptum magis auribus ſuis, atque accommodatum. Quis porrò neſciat varium hominis ingenium, ac multiplex; neque idem ſemper placere hominibus iiſdem? Quantò minùs aliis temporibus, ac moribus aliis? Hominis eſſe vel maligni, vel rudis, præteritis tantùm favere, et in iis etiam, quæ adiaphora, ut Græci vocant, per ſe ipſa ſint, ſive, uti nos dicimus, indifferentia, repugnare ſemper ſeculo ſuo. Ipſe ſanè *Tullius*, ſi nunc temporis viveret, uteretur non minùs prudentiâ ſuâ, quàm eloquentiâ. *Senecam* certè (quod ingenui, ac Romani hominis eſt) vel diſſimilem ſibi laudaret; ac nimios quoſdam, atque obſtinatos imitatores ſui, qui ſecus ſentirent, jure, ac meritò reprehenderet. Addebant ad hæc *Seneciani* Oratorum pleroſque, aliorumque Scriptorum, ſuæ quoſque nationis lingua nunc uti, et Gallicam in primis apud eruditos, atque Etruſcam in uſu eſſe; quarum ſanè neutram æquè, ac Latinam, admittere longiores quaſdam periodos, nominumque, ac verborum translationes, atque alia hujuſmodi, quæ ad grandiorem eloquentiam *Ciceroniani* maximè requirant. Id præſtare qui voluerunt, perinde ac ſi Latinè ſcriberent, Etruſcos Scriptores quoſdam nec ab indoctis ſatis intelligi, nec ſatis doctioribus probari. Cæterùm, quòd ex hodiernis eruditis haud pauci rivos

magis

magis, quàm fontes, consectentur, id enimvero vel extra rem esse, de qua disputatur; vel non tam *Senecianis* imputandum, quàm *Ciceronianis*; quorum illi scilicet *Ciceronem* ambitiosiùs jactant, qui neque aliud quidpiam evolvere solent præter ipsum, neque aliud in ipso quidpiam aut admirantur magis, aut intelligunt, quàm quod vel homines semidocti, ac tenuis admodum ingenii, imitari facilè possint.

Ita, nunc apud alios seorsim, nunc ipsi inter se simul, perorabant utrique pro domo sua, nec victores unquam, nec victi, nisi quòd utrique vicisse se crederent; ut contingit plerunque, dum ingenio certatur, neque præest litis arbiter, qui sententiam mox ferat. Hoc uno tamen superiores videri poterant *Ciceroniani*, quòd, cùm *Senecam* improbarent ipsi, vel *Seneciani Ciceronem* laudabant. Haberi, ut Cæsarem, volebant isti Ducem suum; suum illi, tanquam Pompejum. Nec priorem Senecâ pati possunt *Seneciani*; nec *Tullio Ciceroniani* parem.

Sed non ultrà ferenda duxit hæc Literatorum dissidia, illorum Præses, ac Parens publicus Literarum, Apollo: tum ut suus auctoribus clarissimis apud omnes honor constaret; tum præsertim nequid in posterum detrimenti caperent in tanta seniorum discordia Rhetorices Candidati. Ergo acciri quamprimùm ea de re jussit in Permessum, tanquam patronos utriusque partis futuros, ex *Ciceronianis* præcipuos, ac *Senecianis*; ut disceptantibus inter se arbiter ipse interesset, ac deinde, quid conduceret literariæ Reipublicæ, expensis utrinque rationibus decerneret. Ab hoc tamen Literatorum conventu, cujus partem se præcipuam futuros facilè sperabant, exclusos voluit Apollo nonnullos, quos ipse

puros

puros putos appellabat Grammaticos: idque, ut ſenior mihi narravit Calliope, duplici de cauſa. Altera nimirum erat, quòd lis iſta minùs ſpectare videretur ad Grammaticos, non enim hìc diſputari, Latiniùſne *Cicero*, an *Seneca* ſcripſerit: qua in re, ut Senecæ ſuo *Seneciani* ipſi præferri *Tullium* haud ægrè patientur; ita *Senecam* ipſum, quanquam fortaſſis minorem, ut [a] *Latinitatis* tamen *peritiſſimum*, prudentiores *Ciceroniani* laudabunt. In eo videlicet controverſiam eſſe, *Ciceronem* ſibi, an *Senecam* proponere ad imitandum debeat, qui rectè, disertè, ſapienterque dicere velit; idque, ſive Latinâ, ſive alia qualibet utatur linguâ. Hoc autem dignoſcere, ac judicare, ut opus ingenii præcipuum, ac judicii, ita Oratoris proprium videri, atque Philoſophi; ſive hominis, ut meliùs dicam, doctiſſimi, ac prudentiſſimi. Alteram deinde, et quidem potiorem cauſam, qua ab indicto Literatorum congreſſu abeſſe voluit Apollo Grammaticos illos, eam eſſe intellexi, quòd eſſet ipſis iratus vehementer, atque offenſus. Nec immeritò ſanè; quippe qui illos acceperat non in ſua tantùm aula jactare ſe ſe, atque agere imperioſiùs, quaſi Latinè loquendi Coryphæos, ac magiſtros planè ſingulares; verùm etiam, tanquam publicos, et quidem Cœlo miſſos, literariæ Reipublicæ Dictatores, vel in veteris Latii auctores clariſſimos cenſorium ſibi ius adſcribere, atque uſurpare, illorumque plures pro libito, atque imperio ſuo, non amovere modò puerorum e ſcholis, ſed virorum etiam e manibus extorquere. Hinc palam contemni, ac vix non irrideri, non *Plinios* tantùm, ac *Tacitos*, ſed et *Livios*, ac *Salluſtios*, alioſque hujuſmodi Scriptores

(a) *Apud Cauſſin. de Eloq. lib.3. cap. 14.*

ptores celeberrimos: perinde quasi aut, tanquam Arabes, vel Scythæ, nescierint ipsi latinè loqui, quos ætas aurea Latinæ linguæ posterorum magistros reliquit; aut Latinam præter linguam nihil in ipsis aliud admirandum sit, imitandumque, qui Latinè loquentibus sui temporis hominibus tot aliarum virtutum admirationi, atque exemplo erant. Id enimvero iniquissimum sibi videri, nec ferendum diutius, exclamabat Apollo: privatos scilicet Grammaticos quosdam, neque ab ingenio, neque a doctrina dignos unquam Parnasso habitos, tribunal conscendere merito nullo, nullaque auctoritate in illos jus dicere, quorum nomina tum Apollinis judicio, tum Eruditorum consensu, seculis omnibus commendata sint, ac veluti sacra. Quare, nequid in ipsos gravius decerneret, manerent ejusmodi homines, siqui adhuc sunt, domi suæ, ibique, quæ provincia ipsorum est, auditorum suorum solœcismos emendarent, ac barbarismos; *Ciceronianas* phrases, ut libet, ac *Senecianas*, aliasque hujusmodi colligerent loquendi formulas; eruerent etiam, quando et hoc ipsum vellent, e mediis carinis [(a)] *abolita jam verba*, *atque abrogata*, eaque retinerent ipsi, ac rarissimas veluti gemmas, ostenderent: quod *insolentiæ* tamen *cujusdam est*, *& frivolæ in parvis jactantiæ*, ut ajebat illorum Præceptor *Quintilianus*; cùm [(b)] *et nihil sit odjosiùs affectatione*, *et certissima loquendi magistra consuetudo sit*, *utendumque planè sermone*, *ut nummo*, *cui publica forma est*. Uno verbo, et desinerent tandem viros doctissimos ad Grammaticæ regulas expendere, et eas ipsi, quod bonos decet Grammaticos, auditoribus suis dilucidiùs explicarent; neque unquam, ut

Aa ma-

(a) *Quintil. Instit. Orat. lib. 1. cap. 6.*
(b) *Idem ibidem.*

magnos viros, efferrent se se, quanquam doctores artis suæ præstantissimi; quæ una scilicet plus in ipsis laboris ostendit, ac diligentiæ, quàm ingenii, ac doctrinæ.

Ergo, seclusis Grammaticis omnibus, aliisque pluribus levioris armaturæ Literatis, quibus apprimè cordi est non tam coram Phœbo, quàm Musarum in conventu, disertos esse, atque elegantes: adfuere condicta die in ædibus *Parnassi* factionis utriusque viri doctissimi; quos ex omnibus terrarum partibus non tam Apollinis imperium, quàm causa ipsa coram illo pertractanda, lubentes huc traxerat. Exceptos humaniter regio in atrio, ubi parato medius ipse insidebat solio, considere Apollo statim jussit minoribus utrinque subselliis, geminas scilicet in classes distributos. *Ciceroniani* dexteram, lævam *Seneciani* tenuere. Togati illi plerique, et aut cani, aut detonsi; et quales demum, si paucos excipias, Proavos nostros, Atavosque domesticis in atriis videmus, plus venerationis habentes, quàm venustatis. Illorum verò senes plures, juniores nonnulli, mediæ ætatis plerique. Cultus, atque habitus non idem omnibus. Senioribus Hispanicus, juniorum plerisque Gallicus, paucis admodum Romanus. Haud paucos tamen videre utrinque erat in hoc planè similes; quibus videlicet non tam nationis, aut ætatis insignia erant, quàm officii, ac personæ. Dixisset aliquis aut Equestrem ordinem pro *Seneca*, Senatorium pro *Tullio* stare; aut isti certè magnam favere Rempublicam, Aulam illi non minorem. Re ipsa tamen contemplari videbar mihi facies utrinque dignas imperio, et quæ magnam vel ore tacito mentem ostenderent; nec facilè dixerim, utri me parti addictum voluissem, cùm pares viderentur etiam dissimiles, et magis alios vultus hinc inde dignoscerem, quàm alios homines.

Jam

Jam verò, cùm Apollo gravi admodum, plenoque majestatis contuitu silentium sibi, ac reverentiam fecisset; quod utrumque tamen attulerant per se ipsi, ac præstabant ultro viri prudentissimi: Aggressos, ait, ipsos

(a) *Periculosæ plenum opus aleæ.*

Nihil unquam temerè, nec nisi cum laude, de magnis Scriptoribus loquendum; quorum nempe, siquæ sunt, vitia, ut in Sole maculæ, non careant luce sua. Illum quoque eminere, qui aut *Tullio* secundus esset, aut *Senecæ*; quin et in magnis numerari, qui post tales duos esset. Eloquentiæ quidem *Tullium* nomen esse, *Senecam* Philosophiæ; at neque deesse suam alteri Philosophiam, neque suam alteri Eloquentiam. Compertum jampridem sibi, dissimilem utriusque elocutionem turbas illas efficere; atque adeo velle se, auditis partibus, longa tandem dissidia componere, certasque iis leges sancire, qui vel *Senecam* in dicendo sequi mallent, vel *Ciceronem*. Hæc Apollo præfatus, aliaque his ferme similia; cùm jam pars utraque tres e suis selegisset, qui communi pro causa verba facerent, jussit illico, ut, quo convenerant ordine inter se se, dicere singuli aggrederentur, quod antè perpensum secum ipsi attulerant, ac pro re præparatum.

Tum primus pro *Tullio* surrexit *Marcus Antonius Muretus*, vir enimvero disertissimus æquè, ac eruditissimus, et acerrimi in re literaria judicii; idemque, si quis alius, nec serviliter, nec ambitiosè, *Ciceronianus*. Et primò quidem, tum ut invidiam contrariæ factionis effugeret; tum ut Apollini causam ipse suam magis probaret, duo præstitit prudenter; idque (quod majorem illi fidem, lau-

(a) *Horat. lib. 2. Od. prima.*

laudemq; promeruit) non ex officio tantùm, sed etiam ex animo. [a] Damnavit ultro, atque irrisit, in quo ipse aliquando fuerat, eorum errorem, qui non idoneos Latinitatis auctores existimant, nisi *Ciceronem*, et qui *Ciceronis* ætate, aut paulò antè vixissent; ac dignos palam professus est, quorum exemplo Latinè loqui quisque posset, ac scribere, [b] *Senecam*, *Livium*, *Valerium*, *Celsum*, *Quintilianum*, *Columellam*, *utrumque Plinium*, *Tacitum*, *Svetonium*, *Vellejum*, *Quintum Curtium*, *Lactantium*, *aliosque ejusmodi Scriptores*, *quos et ab iis ipsis temporibus*, *quibus Latina lingua floruisse dicebatur*, *propiùs abfuiße*, *et suo quemque seculo disertissimos* habitos esse constaret: *neque quisquam unquam veterum*, qui tamen longè meliores ejus rei existimatores fuerunt, quàm nos tam longo ab illis intervallo distantes, *malè Latinè locutos esse dixit*. Tum de *Seneca* nominatim pronuntiavit, idque ductis ab ipsius scriptis argumentis præcipuis ostendere se paratum dixit, [c] *eum et doctrinæ copiâ*, *et scribendi elegantiâ longè*, *multùmque omnibus obtrectatoribus suis præstitiße*. At ab illis tamen, (subjecit post hæc *Muretus*) qui rectè, eleganterque, et ad persuadendum præsertim accommodatè, aut scribere, aut loqui velint, *Senecam Tullio* præferri, aut comparari etiam tantùm: id sanè (liceat mihi, quod mecum ipse sentio, fateri palam) nec probatum mihi est unquam, nec verò poterit unquam probari. Fuerit, ut libet, stultissimum Caligulæ Cæsaris judicium, [d] *meras asserentis Senecam commissiones componere*, *et arenam esse sine calce*. Fuerit iniquior Aulus Gellius, qui levi de causa, ac propè nullius momenti, *Senecam* dixerit [e] *homi-*

(a) *Muret. Variar. Lect. lib. 15. c. 1.* (b) *Idem ibid.* (c) *Muret. Orat. 3. Volum. 2.* (d) *Sveton. in Calig. c. 53.* (e) *Aul. Gell. Attic Noct. l. 12. c. 2.*

minem insulsissimum ; et vix dignum lectione , ac studio adolescentium. Fuerint etiam aut imperiti, aut maligni, qui, de *Seneca* cùm loquerentur , pronuntiârunt audacter cum (a) Erasmo : quòd nemo in ipsius scriptis majorem ordinem non desideret : et membrorum ipsorum , nedum corporis totius, structuram , ut ajunt , meliorem : quòd ejus oratio salit veriùs, quàm incedit , quòd non desinit plerunque , sed cadit. quòd rarus in illa transitionum , rarus admodum conjunctionum , aliorumque ejusmodi adjumentorum orationis usus , quæ postrema duo mirum , quantum *Ciceronianæ* orationi lucis afferant , et elegantiæ. Ut hæc omnia de *Seneca* falsa sint , *Ciceronem* tamen in communi causa nonnihil juvant , cui ne ineptus quidem censor , aut malignus , tale aliquid ausus est unquam imputare. Sed videte , cum *Seneca* quàm liberaliter agere velim , atque humanè , nedum justè , ac moderatè. (b) *Nimirum ejus orationem* profiteor *pressam quidem esse, ac subtilem , sed concinnam , ac splendidam , plenissimamque gravitatis : sententias enim ipsius ita frequentes , ut æquent propè numerum verborum : verba autem ita inter se se apta , et cohærentia , ut nullum movere loco possis , substituendi alterius gratia , quin corrumpatur ; nullum tollere , quin concidat oratio.* Post hæc omnia tamen minimè dubitem, ut exemplar in omni genere bene dicendi præcipuum , et quod prudens quisque spectet subinde , ac referre pro viribus studeat , anteponere *Senecæ M. Tullium* : hoc est , ut ipse nobis testatur *Seneca* , (c) *ingenium illud , quod solum populus Romanus par imperio suo habuit.* Hoc Rheto-

(a) Vid. Erasm. in præfat. ad Senecam . (b) Mureti de Seneca judicium apud Franciscum Bencium S.J. , qui fuerat ipsius discipulus, atque amicus, in Præfatione ad Senecam cũ notis posthumis ejusdem Mureti. (c) In Præfatione ad Controversias.

res omnes passim clamant; et qui, cùm alios eloquentiam docere velint, ad *Ciceronem* confugere solent, non ut habeant in illo præcepta tantùm, sed etiam exempla. Hoc ætatum omnium consensus fatetur, quibus ferme unus, qui legeretur in scholis, visus est satis esse *M. Tullius*; cùm [a] *Romanos inter Scriptores eloquentiæ laude, ita sit primus, ut ab eo nemo numeretur secundus*. Sed hoc idem maximè, si omnia paulisper præjudicia ponat, sibi ipse testari, aliisque potest, quicunque *Ciceronis* scripta (*quanquam* [b] *decimam vix illorum partem nunc reliquam habeamus, eamque multis partibus mancam, ac mutilam, multis vulneribus, multis cicatricibus deformatam*) diligenti manu versaverit: eumque in illis, sive ad populum verba faciat, sive ad Senatum; seu domesticis ad amicos scribat, seu publicis de rebus; sive Eloquentiæ præcepta tradat, sive Philosophiæ, in quodlibet dicendi genere invenerit eminentissimum.

Hæc, & plura pro *Tullio Muretus* dixerat, sed multò eloquentiùs, et stylo prorsus suo; ut jure, ac meritò, quod dictum de Nestore [c] dicebat ipse de audito a se Perpiniano, videretur mihi de ipso pariter dici posse: *cujus ex ore melle dulcior fluebat oratio*. At, qui sedebat *Mureto* contrarius, surrexit statim *Franciscus* de *Quevedo*, non pro *Seneca* tantùm, sed et pro se ipse dicturus. Nimirum, ut eadem illi, quæ *Senecæ*, natio; ita nec diversum, nec fortasse minus ingenium; et, quod facit ad rem magis, [d] character orationis simillimus: ubique pressus, ac subtilis; et vel sententiis fecundus; vel rerum imaginibus, quas phantasias dicimus, vivax, ac splendidus: salibus etiam

(a) *Muret. Orat. 6. Volum. 1.* (b) *Muret. variar. Lect. l. 15. c. 1.*
(c) *Idem ibid.* (d) *Vid. Hispanica Quevedi Opera, tomis duobus distincta.*

etiam ſubinde ditior, ac facetiis urbanior; et in his haud rarò vel felicior, quàm in ſeriis, vel ingenioſior. Ut hanc in *Quevedo* præter alias *Senecæ* virtutes admireris, ita præter ea, quæ *Senecæ*, illud ipſi facilè objicias, quòd, dum orationem non intendit modò, ſed et affectat ſubinde, ſplendidam in omnibus, atque acutam; aut vitrum porrigat aliquando pro margarito; aut iridem, tanquam Solem, ſpectandam exhibeat, pulchram quidem, ac primò fortaſſis placituram, ſed mox inanem, et evanidam. Qua in re tamen excuſari facilè poſſit vir ingenioſiſſimus, quòd hæc nimirum ultro faciat, ac de induſtria plerunque; idque, vel ut rideat ipſe, vel ut aliis in loco riſum faciat.

Ergo mirari primùm ſe dixit *Quevedus*, ac plurimi facere, et ingenuum *Mureti* animum, et dignum ſanè viro ſapiente judicium; cùm præſertim audiſſet olim minores quoſdam *Ciceronianos*, qui tantò deteriùs aut ſentirent de *Seneca*, aut loquerentur certè, quantò aberant ipſi longiùs non a *Tullio* ſolum, ſed et ab ejus imitatore *Mureto*. Tum ad ipſum converſus *Muretum*: Accipio, inquit, vir doctiſſime, quod nobis ipſe das ultro de *Seneca* noſtro; atque inde partem cauſæ alteram a te nobis adjudicatam pronuntio, id nimirum contendentibus primò, dignum eſſe *Senecæ* ſtylum, quem eruditi, ac prudentes viri tum loquendo, tum etiam ſcribendo imitentur. Cui enim, quæſo, laudari jure non poſſit, nedum probari, qui eam in dicendo referre orationem ſtudeat, quæ *ſplendida*, *ſubtilis*, *concinna ſit*, *ac pleniſſima gravitatis*; *et in qua*, ut alias ejus omittam laudes, *quot verba ſunt*, *totidem ferme ſententiæ ſint*, judicio tuo? Quòd hanc ipſam deinde *Senecæ* præferamus imitationi *Ciceronis*, qua parte tantùm repugnare te nobis intelligimus; id videlicet, cùm et omnis per ſe ipſa odioſa ſit, et hæc maximè, quam præ manibus habe-

 mus,

mus, comparatio, multò mihi faciliùs fortasse sit probare posse, quàm velle. Rideo sanè, ut ineptum, ac stulto dignum, Rufi illius judicium, [a] *qui toties*, ut scitis, *Ciceronem Allobroga dixit*; hoc est hominem eloquentiæ supervacaneæ, ac superficiariæ. An verò ridendum vobis et illius Apri judicium videtur, Oratoris et antiqui, et suo tempore celeberrimi; qui de *Ciceronis* eloquentia iis in Orationibus loquens, quas ille quidem composuerat nondum senex, sed quas tamen, ut exemplar eloquentiæ suæ, consulere maximè videntur ex hodiernis *Ciceronianis* plures: [b] *Lentus est*, inquit, *in principiis, longus in narrationibus, otiosus circa excessus: tardè commovetur, rarò incalescit: pauci sensus optimi, et cum quodam lumine terminantur: nihil excerpere, nihil referre possis?* An risu dignum *Ciceronianis* habebitur judicium *Quintiliani*, hominis scilicet, ut verum fatear, et Romanis addicti, et hoc etiam nomine de natione sua malè meriti, quòd, ut in laudes *Ciceronis* effusior, ita *Senecæ* nostro, imò et suo, siquis alius Rhetorum, fuit iniquissimus? Hic tamen ipse (præterquamquod *Ciceronem* refert *homines temporum suorum ausos* [c] *incessere, ut tumidiorem, et Asianum, et redundantem, et in repetitionibus nimium, et in compositione fractum, exultantem, ac penè viro molliorem*: falsò quidem, et immeritò; at non sine aliqua mentiendi occasione) profitetur posteris palam: [d] *Si mihi des consilium judicum sapientum, perquàm multa recidam ex Orationibus non Ciceronis modò, sed etiam ejus, qui est strictior multò, Demosthenis?* At nolo pluris hæc apud vos contra *Tullium* testimonia sint, quàm quæ contra *Senecam Muretus* adduxit, idemque aut contempsit sapienter, aut confutavit. Ipse pro *Sene-*

ca

(a) *Juvenal. Sat.7.* (b) *Tacit. Dialog. de claris Orator.*
(c) *Quintil. Instit. Orat. l.12. c.10.* (d) *Idem ibid.*

ca teſtimonium *Tullius* ferat exemplo ſuo, et quidem jam ſenior;[a] *ideſt poſtquam magis profecerat, uſuque, et experimento didicerat, quod optimum dicendi genus.* Tunc ille ſcilicet oratione preſſior, ac fortior, et ſententiis, quàm verbis, validior; uno verbo, futuri *Senecæ* ſtylo longè ſimilior: idque teſtari ſatis poſſunt tum plures ad Atticum, ac Brutum Epiſtolæ, tum ejus poſtremæ Orationes, et in primis

[b] *conſpicuæ divina Philippica famæ,*
Volvitur a prima quæ proxima.

Hæc Quevedus *Ciceroniano* ſtylo propior, quàm *Seneciano*: ſeu quòd cauſæ id expediret; ſive ut oſtenderet alio ſe ſtylo uti ſolitum, quòd ita vellet, non quòd aliter non poſſet. Cæterùm (ſic perrexit ille) orationem ego, qua vel alterius mentem, vel animum expugnare vir prudens contendat, exercitui comparaverim. Quis in illo ferat totidem ferme lixas eſſe, vel fœminas, quot milites? Nimirum non plus eſſet in majori numero auxilii, ſed impedimenti. Verba ſingula, ſi fieri poſſit, milites ſint; et quidem armati, & quidem veterani. Nolo in illis aut ſordes vultûs, aut ferri rubiginem. Tales ſint, ut hoſtem vel terreant, vel blandè fallant; nam et hoc ipſum ſæpe vincere eſt. Sed abſit procul inane pondus, *quod* [c] *neque tegit*, ut ajebat ille, *neque vulnerat*. Quid orationem mihi, magnam velut aciem, inſtruitis, incedentem ingenti ſtrepitu, et ſpatium horarum plurium occupantem? Quid in illa mihi particularum elegantiam, verborum figuras, periodorum circuitiones, aliaque hujuſmodi ſpectanda exhibetis, non ex virtute plerunque, ſed vel ex metu, vel ex luxu ſubſidia? Nempe ingentem videre mihi

(a) *Dialog. de claris Orator.* (b) *Juvenal. Sat.* 10. (c) *Tacit. in vita Agric.*

hi videor, qualem duxit in Grçciam Xerxes, exercitum quidem; sed exercitum Asiæ. Malo mihi, quàm trecenta Persarum millia, Lacones trecentos: multò quidem pautiores homines, sed milites longè plures. Prudenter sanè *Marcus Tullius* et in verbis abundantior olim fuit, ut qui vel ad populum verba faceret, vel hominibus liberæ Reipublicæ scriberet; et in scholis frequentiùs nunc legitur, ut facilior incipientibus, et securior. At nobis hìc quæritur, quinam dicendi stylus viros nunc deceat jam eruditos; et horum plerique ex gentibus sunt, quæ regnantur. Rara eo in imperio eloquentiæ liberioris facultas, nedum necessitas, in quo et publicis de rebus necesse sit verba singula expendere; et de iis maximè, quæ more Romano disertum facerent, periculum non tacere. *Nec Macedonum quidem, ac Persarum* (quod [a] egregius Orator Romanus adnotavit) *ac ullius gentis, quæ certo imperio contenta fuerit, eloquentiam novimus. Rhodii quidam, Athenienses plurimi, Oratores extiterunt; apud quos omnia populus, omnia imperiti, omnia, ut sic dixerim, omnes poterant.* Ut hoc etiam addam pro Natione nostra: loqueretur olim alieno more sub dominantibus alienis, loquatur, ut ipsi libet, nunc suo. *Ciceronis* tempore Hispaniæ dominabatur Italia; sibi nunc, atque [b] Italiæ, Hispania dominatur.

Pro *Tullio* deinde contra *Senecam* dixit *Augustinus Mascardus*, vir sanè et ab ipsa natura ad eloquentiam factus, et *Ciceronis* studio, atque imitatione, eloquentissimi laudem consecutus; quin et eo de nomine laudandus maximè, quo Herodotus, ac Thucydides commendantur a *Tullio*: nimirum quòd, [c] *cùm in eorum tempora incidisset*, quibus

(a) *Messalla in Dial. de clar. Orat.* (b) *Habita est Prolus. anno 1608., cùm adhuc viveret Carolus secundus Hispaniarum Rex, & magnæ partis Italiæ Dominus.* (c) *Cicer. de Orat. ad Brutum.*

bus tum ligata, tum soluta in oratione pueriles flosculi in pretio erant, atque inanes argutiæ, *longissimè tamen ipse a talibus deliciis, vel potius ineptiis abfuerit*. Multa præmisit in laudem *Tullii*, ut [a] *dono quodam providentiæ geniti, in quo totas vires suas eloquentia experiretur;* quippe qui, *cùm se totum ad imitationem contulisset, vim Demosthenis, copiam Platonis, jucunditatem Isocratis*, et quidquid veteribus in aliis præcipuum, ac singulare miramur, effinxit in se unus, ac mirum in modum temperavit. Tum ad *Senecam* descendit, in eoque mirari se dixit cum Quintiliano [b] *et multas, et magnas alioqui virtutes, ingenium facile, et copiosum, plurimum studii, multarum rerum cognitionem, multas, clarasque sententias*. At, ut non omnia, (subiecit deinde *Mascardus*) quæ *Fabius* in *Seneca* reprehendit, hominem nobis in illo exhibens suo quidem præstantem ingenio, at alieno indigentem judicio; *qui* [c] *rerum pondera minutissimis sententiis frangat; cujus in eloquendo corrupta pleraque, eòque perniciosissima, quòd abundant dulcibus vitiis;* quique adeo *amore potiùs puerorum, quàm eruditorum consensu, comprobetur:* ut non hæc, inquam, omnia probentur mihi, quorum alia minùs æquam fortasse censuram ferunt, alia paulò graviorem; fateri tamen vel invitus cogor, quædam in *Seneca* jure, ac meritò reprehendi, eademque et mihi non posse non improbari. [d] In his autem ea, nî fallor, præcipua videri possunt; primò quidem, quòd ejus oratio, quanquam elegans, et concinna, [e] *infracta* tamen (utar verbis *Tullii* de re simili disputantis) *et amputata, non apta, et finita pronuntians*, subinde sit; et in qua [f] *circuitus ipse verborum brevior*

(a) Quintil. Instit. Orat. lib. 10. c. 1. (b) Quintil. Ibid. (c) Id. Ibid.
(d) Vide Mascardum de Arte Histor. Tract. 5. (e) Lib. 2. de Orat.
(f) Lib. 3. de Orat.

vior sit, quàm aures expectent : tum verò, quòd ejus sententiæ, ut viro dignæ pleræque sint, ac Philosopho, neque oculos minùs, quàm animum, feriant; vel consimiles aliquando sunt, et in idem recidentes, ut earum posteriores nihil afferant ferme novi, vel frequentiores in oratione subinde, ac se quodammodo ita prementes invicem, ut suo singulæ spatio careant, quo distingui inter dissimilia possint, et eminere. Hæc ego *dulcia* esse crediderim *Senecæ vitia*; quæ longè tamen majora, et dulcia minùs in illis sunt, qui, cùm a *Seneca* tum ingenio, tum studio, atque eruditione, absint longissimè, ita ipsum imitantur, ut, quod ajebat [a] Fabius, infament.

Vix hæc *Mascardus*; cùm, paratus jamdiu pro *Seneca* dicere, surrexit statim *Nicolaus Caussinus*, vir Græcis, Latinisque literis eruditissimus, et qui Eloquentiam, quam magna cum laude diu docuerat in Gallia, [b] non alienis tantùm exemplis illustravit, sed etiam suis. Ergo, quòd paulò iniquior in *Senecam Quintilianus* fuerit, vir egregii cæteroquin judicii, ubi sine invidia, et studio, quod fit ab illo plerunque, de auctoribus sententiam profert: et ipsum primò *Caussinus* dixit, qui ejus in *Senecam* auctoritate utebatur, non diffiteri *Mascardum*; et [c] se aliàs demonstrâsse luculentè tum argumentis aliis, tùm auctoritate præsertim senioris *Plinii*, *Svetonii*, *Frontonis*, *Dionis*, aliorumque hujusmodi: quos sanè nec magis pueros, quàm se ipse *Quintilianus* dixerit; neque honorificentiùs longè, quàm fecit ipse, de judicio, atque elocutione *Senecæ* locutos negaverit. Inde ad illa duo, quæ obiecerat *Mascardus* ipse, tanquam vitia *Senecianæ* elocutionis præcipua: et

(a) Quintil. lib. 10. c. 1. (b) Vide Caussinum de Eloquentia, & cætera ipsius Opera tum Latine, tum Gallica. (c) Caussin. de Eloq. lib. 3. cap. 14.

et ipsi possent, reposuit *Caussinus*, *Seneciani* contraria vitia elocutioni illi obiicere, quam nos dicimus *Ciceronianam*. Plures ab omnibus in dicendo styli species admitti. Suas singulis virtutes esse; atque adeo proprias alterius virtutes immeritò ab illis exigi, qui alterâ utantur. Prudenter *Senecam* ad eum stylum animum adjecisse, qui et eruditis probari jure posset, et placebat maximè seculo suo. Nihil in hoc illum antiquioribus Græcis debere; quin eo de nomine videri fortasse posse superiorem *Tullio*: qui, nemini licèt Grecorum secundus, [a] *in hoc ipse sanè Demosthenì cedit, quòd et iste prior fuit, et ex magna parte Ciceronem, quantus est, fecit*. Quid quòd hoc ipsum, (addent præterea *Seneciani*) si finem dicentis spectes, decebat magis? Potuisset facilè *Seneca* vel elocutione similis esse *Tullio*; cui nempe tum ingenio, tum eruditione, multò erat similior, quàm plures fuerint, vel sint hodieque *Ciceroniani*. Sed ferum Neronis ingenium, sed imbelles aulicorum animi, nisi per orationis delicias, ad amorem virtutis flecti non poterant. Inde pugnavit ille in vitia, ut in Romanos olim Svevi; qui, [b] *non ut amarent, amarenturve, adituri bella, compti, ut hostium oculis, ornabantur*. Quid quòd (ut *Seneciani* dicunt) hærent acriùs concisa *Senecæ*, quàm *Tulli* periodica? Vel effluunt ista instar fluminis; vel instar incendii diu populantur. At illa contrà, ut fulguris instar aliquando transeant; subinde tamen et instar fluminis momento feriunt. Hæc a me dicta ex officio sint (ita demum dicendi finem *Caussinus* fecit) pro *Seneca* veriùs, quàm contra *Tullium*; neque enim illum, ubi æquitas poscat, idcirco mihi propugnare interdictum sit, quòd [c] et antea *Ciceronem* minùs

(a) *Quintil. l. 10. c. 1.* (b) *Tacit. de morib. German.* (c) *Caussin. de El. l. 1. cap. 6., et l. 2. c. 22.*

nùs æquos adversus censores ex professo defenderim, et stylo ipse, ut longè meliori, plerunque utar *Ciceroniano*.

Duo adhuc dicturi supererant, alter pro *Tullio*, pro *Seneca* alter, *Petrus Bembus*, ac *Virgilius Malvetius*: magnum uterque Italiæ nostræ decus, ac seculi sui, utque alter alteri dissimilis, ita suo quisque in genere præstans, ac veluti exemplar; cùm præsertim convenirent in utroque extrinseca quædam, nunc ornamenta virtutis, ac sapientiæ, nunc etiam auxilia, nobilitas generis, ætatis auctoritas, ac judicii, rerum publicarum scientia, experientia civilium negotiorum, æstimatio apud Principes, apud minores veneratio. Cæterùm *Bembus* tum Latinæ, tum Etruscæ linguæ peritissimus; ac de utraque apud posteros optimè meritus. Ut omne ferme dicendi genus complexus sit, Oratorium, Historicum, Didascalicum, Familiare, et siquod est aliud; stylus illi ubique elegans, et ingenuus, nec Romanus modò, sed et maximè *Ciceronianus*. Accedebat (quod rarum est in *Ciceronianis*) Latinorum, Etruscorumque carminum excellentia; et in his exemplar Poetæ tantùm principes, *Virgilius*, ac *Petrarca*. Ita unus, idemque eminuit in pluribus, ut, dum singula in illo expendis, *Bembum Bembo* facilè anteponeres; nisi exinde et in reliquis parem invenires. Visus est [a] nonnullis imitator Veterum paulò religiosior; et qui esset aliquando in rebus Latinè exprimendis similitudinis amantior, quàm veritatis. Qua in re tamen non desunt hodieque, qui *Bembum* vel excusent, vel etiam laudent. Quanquam et hoc ipsum, ut improbandum fortasse sit in viro tanto, hominem in illo ad summum indicat, magnum non negat. At *Malvetius*, quanquam in scribendo hodiernæ tantùm

Italiæ

(a) *Vide Lipsium Epist. Centuria prima Ep. 61. Masenium Palestr. styli l. 2. cap. 16. &c.*

Italiæ lingua usus, argumenta tamen amplexus, quæ nemo tutò tractaverit, nisi magno præditus ingenio, ac judicio; nisi Græcam, Latinamque sapientiam probè callens; nisi sacræ, profanæque historiæ sciens: uno verbo, nisi similis ipsi. *Senecam* in illo, aut *Tacitum* loqui credas; sed planè Christianum. Adeo probet omnia vel severior Philosophia, Politice nihil desideret, nihil Religio reprehendat. Ejus in oratione sententiæ magis pondere, quàm impetu, validæ: acutæ plures, subtilesque, sed quæ facilè nec frangi possint, nec retundi: plures etiam splendidæ, et quæ oculos blandè percellant; sed luce nova, nec expectata, non quæ fugiat, aut fallat. Nihil in stylo luxûs, c. russæve: virilis semper, et sanus; utque longè gravior, quàm elegantior, ornatus tamen se ipso, ac rebus suis. Asperior fortassis, ac durior videri possit, et aliquando subtilior. Sed facilè reponat quis pro *Malvetio*, quòd animis ille, non auribus scribit; nec voces componere docet, sed mores. Ad hæc non stomachi cujusque est, quod apponit ille; sed Philosophici tantùm, aut certè robustioris. Proinde, quòd imbecillis minùs sapiat, ac delicatis, vim cibi esse, ac naturam; non vitium condimenti. Ut tamen omnia de *Bembo*, ac de *Malvetio* paucis complectar: ab illo faciliùs discas artem bene dicendi, ab isto rectè ratiocinandi: elegantiam in illo præferas, in hoc doctrinam: eamque tibi Eloquentiam ut fingas, quam [a] mente tantùm conceptam invenisse se nunquam *Tullius* fatebatur, plus carnis alter, ut ita dicam, ac sanguinis; plus ossium alter, ac nervorum suppeditabit.

Sed jam redeo, unde paulisper, nec sine causa, digressus sum; cùm [b] *neque silendus*, (ut verbis utar Velleji) *neque di-*

(*a*) *Cicer. de Orator. ad Brut.* (*b*) *Vellejus Paterc. l. 2. loquens de Mithrid.*

dicendus sine cura, aut *Bembus* mihi fuerit, aut *Malvetius*: tum quòd uterque, ut optimè meritus de re literaria, atque adeo de Italia nostra, nec laudari satis ab hominibus Italis possit, et apud hodiernos tamen illorum plures jaceat inglorius: tum quòd utrumque, quanquam aliis auditoribus perspectum satis, ac probè cognitum intelligerem; junioribus tamen discipulis meis, vel de vultu saltem, ut ita dicam, nunc notum volebam. Ergo pro *Ciceronianis Bembum*, *Malvetium* pro *Senecianis*, cùm suos inter quisque emineret, longè plura dicturos expectabam; quàm quæ a prioribus audieram hactenus utriusque causæ Patronis. At, seu quòd utrinque dictum jam satis putarent; seu quòd aliorum commune periculum subire promiscuè nollent ipsi, securus uterque jam famæ suæ; seu quòd veriùs timerent, nequid molestiæ longiori oratione exhiberent Apollini, quem et causam omnem satis edoctum, et affectum propè tædio prudentiores ipsi intelligerent: pauca uterque pro officio, et quæ molestiæ nullius essent, sapienter subjecit. *Bembus* quidem de illis visus est jure conqueri, qui et Tullium, quem sequi tutò possent, deserebant; nec *Sene*[illegible], [illegible]m sequi se se profiterentur, vel longo p[illegible] [illegible]llo sequebantur. Omittere se dixit hujus generis [illegible] plu[illegible] quorum, ut alii aliam inirent dicendi [illegible] nemo ferme unus erat, qui non longissimè propo[illegible] [illegible]ucis a vestigiis aberraret. Invectus præserti[illegible] [illegible]ngenuæ, germanæque eloquentiæ, in Or[illegible] [illegible]tis nostræ nonnullos; quibus nescio qua ex Africa proferre mos [illegible] horrenda quædam verborum, sententiarumque monstra, quæ *Tertullianus* ipse, cujus nimirum auctoritate, atque exemplo abuti subinde solent, aut expavesceret, aut rideret. Ita nihil ipsis laude dignum videtur, nisi supra fidem illud sit, atque

ultra

ultra modum; idque in illis mirandum magis, qui cùm homines plerunque sint, a quibus montium partus expectari vix possint, singulis tamen propè membris eflutiunt hyperboles, ac tertia quaque periodo paradoxa debacchantur. Eos deinde comparavit elegantissimè Sentioni cuidam: viro, [a] ut est apud ipsum *Senecam*, *ingenii confusi, ac turbulenti*, & qui cupiebat grandia dicere; ut in cæteris omnibus amabat omnia grandia. Quare nec servos volebat, nisi ingentis staturæ, neque argentea vasa, nisi enormia, & immania: eòque demum pervenit insaniæ, ut calceos quoque majores indueret, *nec ficus esset, nisi mariscas*; & hac de causa, ficto quidem, sed aptissimo cognomento, vocari cœperit *Senecio Grandio*. Ingeniosam viri gravissimi comparationem excepere plerique leniori risu, cùm rursus ille: Tales, inquit, etsi sapientioribus longè aliis dissimiles, quibus nihil idcirco detractum velim: tales, inquam, pro *Seneca* militant: tales etiam in castris *Senecæ*, quanquam nullâ ipsius culpâ, nunc temporis fiunt; nimirum *Seneciones Grandiones*. Sint, ut libet, minoris ingenii, qui *Ciceronem* vel longè sequuntur; modò sanioris. Malo homines sic ingeniosi ingenium in me quærant, quàm [illegible] judicium desiderent.

Ad hæc statim *Malvetius*: vel tales, reposuit, imitatores *Senecæ*, quando appellare ita libet (quod a *Bembo* tamen sapienti magis joco, quàm ex animo factum, crediderim) ampullatos nescio quos, & vix non insanos, ætatis nostræ *Locutelejos*: vel tales, inquam, *Senecam* commendant. Pessimam optimi corruptionem quis nesciat; eòque casum, quò ex alto magis, periculosiorem? Æstimandum hinc etiam *Senecæ* stylum, quòd mediocres imi-

(a) Senec. Suasor. 3.

tatores non patiatur. Vel eminent *Seneciani*, vel jacent. At illos ego *Senecianos* planè nego, quibus tantùm vel *nugæ canoræ*, vel *crepantes buccæ*, & ebulliens insano ab igne [a] *sartago loquendi*. Quodsi propterea *Seneciani* dicendi sint, quòd *Senecam* legant aliquando, in eoque ducem elocutionis suæ habere se dicant, toto, uti dicitur, ab illo distantes Cœlo; quàm malè audiant necesse est & ipsi *Ciceroniani*, cùm nulli ferme & esse se tales sibi certiùs persuadeant, et ab aliis dici jactantiùs velint, quàm quibus, post inanem verborum profluentiam, quæsitamque Tullianæ syntaxeos cacozeliam, nihil admodum, aut vix aliquid ad rem dicere, hoc demum est esse *Ciceronianum*? Cuinam potiùs comparem ego æmulatores *Tullii* tam ineptos, quàm [b] Vibio illi Rufo Senatori Romano; qui, ut haberetur sui temporis eloquentissimus, & *Tullius* quodammodo redivivus, audite quæso, quid fecerit? Extincti jampridem *Ciceronis* uxorem, quæ supererat adhuc regnante Tiberio, sed, ut facilè quisque intelligit, annis jam confecta, et propè Acherontia, duxit ille in matrimonium. Inde, quasi dotis nomine prioris hæc viri eloquentiam attulisset in domum suam, *Ciceronem* quamprimùm alterum futurum se Rufus credidit; idque (quod sanè videri possit indignum fide) Tiberium apud Principem non sine risu Senatus stultissimè jactavit. An non idem ferme faciunt hodieque nonnulli, ut *Ciceronis* asseclæ literaria in Republica, ac veluti hæredes, habeantur? Cùm eximiam tanti viri eloquentiam nec errore judicii probè nosse, nec consequi possint ingenii tenuitate; imitari maximè student (quod sanè multò faciliùs est) priores illius Orationes, quæ (ut ex

(a) *Pers. sat.* 2. (b) *Apud Dionem hist. Rom. l.* 57.

ex Afro Oratore adnotavit optimè *Quevedus* noſter) *non carent vitiis antiquitatis*, et in quibus *Tullius* ipſe, abſolutus nondum, ac perfectus Orator, *lentus eſt in principiis, longus in narrationibus, tardè commovetur, raró incaleſcit*; atque adeo, ſiquid in verbis occurrit inuſitati, obſoletique; ſiquid in ſenſibus redundantis, atque otioſi, ſiquid in oratione demum tota eneruis, ac minùs virilis, id videlicet amplectuntur omne, ſibique dicturis lætiſſimi deſpondent: perinde quaſi eloquentiſſimi jam ſint, et *Cicerones* ſeculi noſtri, cùm nihil habeant *Ciceronis* aliud, quàm vel magnis ſæpe viris communia vitia, quàm miſerrimam tot aliarum virtutum appendicem; quàm (date veniam, ut dicam uno verbo) quàm quod habuit Vibius Rufus.

Hæc poſtrema *Malvetii* verba non modò plerique Patrum, ſed Apollo etiam ipſe et probavit vehementer, et vix non laudavit. Tum facto ab omnibus intentiori ſilentio: Nihil aliud demum (ſic Apollo aggreſſus eſt rurſus dicere) perſuadere magis poſſunt, quæ utrinque dicta ſunt hactenus; quàm quòd ardua maximè ſit, ac periculi plena, *Ciceronis*, ac *Senecæ* imitatio; niſi ingenio maximè polleant, ac judicio, quibus illos propoſitum ſit imitari. Illud autem perſuaſum omnibus primò velim, non omnia, ac ſingula, quæ magni auctores dixerint, ex omni parte utique eſſe perfecta. [a] *Summi quidem ſunt, homines tamen; nam & labuntur aliquando, et oneri cedunt, et indulgent ingeniorum ſuorum voluptati; nec ſemper intendunt animum, et aliquando fatigantur*. Inde fit, ut, quanquam ipſi laudari ſummoperè debeant, nonnulla tamen in illis reperire ſit, quæ veniam magis per ſe ipſa,

 quàm

(a) *Quintil. l. 10. c. 1.*

quàm laudem, mereantur. Hæc porrò, quæ magnis in auctoribus deteriora sunt, consequuntur plerunque, qui eos sequuntur: tum quòd ipsi minores sint; tum, quòd illa emineant aliquando, atque in oculos magis incurrant, et obtineri nullo negotio, exprimique vel ab imperitis possint: ut pulcherrimo in vultu siquid nævi, aut verrucæ sit, hoc ipsum scilicet longè faciliùs, quàm cætera illius pulchritudo, pennicillo exprimatur. Quare, antequam de hac ipsa, quæ inter vos est, controversia judicium feram; duo maximè et vos meminisse, et moneri cæteros omnes velim, quibus vel *Tullianos* esse posthac libeat, vel *Senecianos*. Alterum quidem, quid afferri debeat ad imitationem tantorum Scriptorum, ostendet: alterum verò, quid in ipsa imitatione spectandum præsertim sit, quid maximè præstandum.

Prius illud *Tullius* ipse, si bene meministis, vos antea docuerat tum exemplo suo, tum disertissimo etiam præcepto; cùm enim de se ipse dixisset: (a) *Fateor me Oratorem, si modò sim, aut etiam quicunque sim, non ex Rhetorum officinis, sed ex Academiæ spatiis extitisse: positum sit*, inquit, *in primis sine Philosophia non posse effici, quem quærimus, eloquentem*. Neque id *Cicero* intellectum voluit de hodierna quadam Philosophia, elegantiori fortassis, liberiori certè, et seculi ingenio accomodata; quanquam et hæc ipsa nonnunquam usui esse possit: sed de veteri illa, virili planè, ac robusta, et de vobis omnibus, cæterisque dicendi laude viris clarissimis optimè merita, cujus sit disputare non solùm posse, (b) *de natura rerum*, de

(a) L. de Orator. ad Brutum. (b) Cicer. l. eodem.

de officiis, *de virtute*, *de moribus*, ſed etiam *genus*, *et ſpeciem cujuſque rei cernere*, *eam definiendo explicare*, *judicare quæ vera*, *quæ falſa ſunt*, *cernere conſequentia*, *repugnantia videre*, *ambigua diſtinguere*. Quamobrem eos mirari ſatis non poſſum, qui vix decurſis, et quidem obiter, levioris Rhetorices ſpatiis, nullo rationalis, ut dicunt, aut moralis Philoſophiæ ſtudio, ſola *Ciceronis* lectione, vel *Senecæ*, *Ciceronianos* fieri ſe poſſe ſperant, vel *Senecianos*; cùm earum rerum prorſus ignari, quas callere maximè debeat diſertus, et eloquens, tantùm abſit, ut, quæ optima ſunt in auctoribus illis, et præ reliquis imitanda, exprimere ipſi dicendo poſſint, ut ne illa quidem legendo intelligant, atque ab aliis diſcernant. Inde fieri paſſim, ut ſapientiſſimos apud viros, qui cum *Tullio* ipſo [a] *eloquentiam*, *quæ admirationem non habet*, *nullam judicant*, eamque, quæ admiratione digna ſit, comparari non poſse [b] *non modò ſine dicendi doctrina*, *ſed ne ſine omni quidem ſapientia*: qui cum *Quintiliano* [c] *pectus eſſè* exiſtimant, *quod diſertos facit*, *et vim mentis*, habendamque a ſapientibus [d] *verborum curam*, *rerum ſolicitudinem*: tales, inquam, apud viros inepti, ac præpoſteri imitatores iſti meritò rideantur, ut in verbis toti, in rebus nulli; eaque de cauſa illud ipſis ſubinde contingant, cùm præſertim dicendi leges aliis tradunt, ac de Scriptore quolibet ſtantes, uti dicitur, pede in uno cenſuram ferunt, ut, [e] *dum ſtultis videri eruditi volunt*, *ſtulti eruditis videantur*.

Alterum verò, quo doceri facilè quiſque poteſt, quid intendere, quid præſtare maximè debeat in imitatione illuſtrium Scriptorum, indicavit paucis *Seneca* Lucilio

 ſuo

(a) *Cicer. ad Brut.* (b) *Idem l. . de Orator.* (c) *Quintil. l. 10. c. 7.* (d) *Quintil. ibid.* (e) *Idem Ibidem.*

suo: [a] *similem esse*, ait ipse, *te volo, quomodo filium, non quomodo imaginem: imago res mortua est.* Quid hoc ego non tam *Senecæ* præcepto velim, quàm meo, nemo unus vestrum non statim intelligit. Utinam illud et cæteri omnes intelligerent, qui se nunc temporis aut *Ciceronis* imitatores profitentùr, aut *Senecæ*! Homini sanè longè similior, quàm ipsa sui imago, homo quilibet alter est; etsi altero illum in homine minùs fortasse dignoscamus, quàm sui in imagine. Hæc nimirum mutum aliquid est, atque inanime, et vix extremam corporis superficiem referens, ac repræsentans; neque aliud habens homini simile præter colorem. Contrà verò, ut dissimilis homo homini sit; uterque vivit, uterque homo est. Quantò ergo Parenti similior, quàm Parentis imago, dicendus filius est; quippe qui ab illo genitus, institutusque ita plerunque ipsum refert corporis habitu, atque animi, ut quanquam re ipsa duo sint, et alter altero non tantùm minor, sed et ipsi aliquando dissimilis in pluribus, attamen non modò vivum in altero exemplar alterius, sed vivam etiam, spirantemque in altero alterius imaginem dignoscamus? Tales ego, ut estis re vera plerique vestrum, et hodiernos omnes *Ciceronianos* vellem, ac *Senecianos*: ita scilicet suum isti *Senecam*, *Ciceronem* illi referrent; ut ab Eloquentiæ peritis, ac Philosophiæ, eorum filii, non imagines tantùm, intelligi possent. At quî fieri potest unquam, ut eos in dicendo vel *Senecæ* filios existimemus, vel *Tullii*, quibus deest omnino, quæ præcipua in hoc genere cum Parentibus est, similitudo ingenii, judicii, eruditionis, ac doctrinæ, virtutumque reliquarum; et inest tantùm, quò illis similes ab imperitis credantur, extrinseca quædam oratio-

(a) *Senec. epist.* 88.

tionis species, et color fortasse gratus, sed sine ossibus, ac nervis, sine viribus, ac lacertis, sine spiritu, ut ita dicam, ac mente? Hoc est enimvero similem esse, non quomodo filium, sed quomodo imaginem, et quidem quæ mortua res est. Nemo sanè vestrum similiorem longè non fatebitur aut *Senecæ Tullium*, aut *Senecam Tullio*, quàm vel ipsi *Senecæ Senecianos* istos, vel *Ciceronianos Ciceroni*; cùm dissimiles nimirum ita illi sint dicendi genere, ut in hoc tamen conveniant, quòd in suo quisque sit præstantissimus: ita illorum alterutri similes e contrario recentiores isti, ut virtutibus utriusque careant. Quid eos hìc referam imitatores longè deteriores, qui similes vix sunt instar imaginis ne suos quidem colores habentis; sed commodatos tantùm, atque ab ipso veriùs exemplari hinc inde corrasos? Illos loquor, ut videtis, quorum præcipua in eo stat industria, ut, cùm vel *Tullium* imitari velint, vel *Senecam*, decerptas hinc inde ab Opusculis eorum pluribus, et corrogatas dicendi formulas, ac phrases multas, quin et integras aliquando periodos, ita contexunt in unam orationem, atque consarcinant; ut *Ciceronianum* centonem, vel *Senecianum* exhibere nobis de industria videantur? Hoc porrò imitationis genus, quod ex parte saltem probatur illorum nonnullis, qui, ut ajebat *Tullius*, [a] *tantùm laudant, quantùm se posse sperant imitari*; sanioribus ego Literatis interdictum, ac pœna Cornicis Æsopicæ damnatum volo, non ut genus modò imitationis superficiarium, quale hactenus improbavi, sed ut etiam servile maximè, ac plagiario vix dignum.

Ergo, duabus hisce rectæ imitationis legibus jam sta-

(a) *Cicer. de Orat. ad Brut.*

tutis, meum habetote de lite veſtra judicium; in eoque binas pacis conditiones, quam certam in poſterum, ac ratam apud vos omnino velim. Prior illarum hæc ſit: Prælegendum junioribus Diſcipulis, ut fit in Scholis bene inſtitutis, *Ciceronem*; neque, antequam ſtylum dicendi ab illius maximè lectione paraverint, permittendum ipſis *Senecam*, niſi obiter, et ex occaſione. Altera porrò conditio eſt: Quibus e contrario maturum cum ætate judicium ſit, nec Rhetoricæ modò parta jam ſcientia, ſed etiam Philoſophiæ, et (a) ejus in primis partis, quam Ethicen appellant; licere ilis pro arbitrio *Tullium* ſibi, vel *Senecam* ptoponere, quem, veluti exemplar, ſin minùs unicum, at præcipuum certè, imitentur. Qua in re tamen duo rurſus Imitatores iſtos monitos velim. Primò quidem, ut illum ſibi exprimendum ſeligant, cujus facilior ſibi, feliciorque futura ſit imitatio; eaque de cauſa ſuum ipſi ingenium, aliorumque judicium hac ſuper re conſulant. Deinde verò, quòd, niſi ſpes illius ſit, quam dicebam modò, imitationis vel *Ciceroniani* ſtyli, vel *Seneciani*, (b) *non eſt unus, quamvis præcipuus, imitandus; quia nunquam par ſit imitator auctori, et ſemper eſt citra veritatem ſimilitudo*. Ad hoc accedit, *quòd* (c) *plerunque facilius eſt plus facere, quàm idem; atque adeo etiam qui ſumma appetunt, contendere potiùs, quàm ſequi debent; nam qui agit, ut prior ſit, forſitan etiamſi non tranſibit, æquabit*. Sed hæc jam ſatis. Quibus in cauſis, atque argumentis, quos ad auditores, quibus tandem hominibus expediat dicere *Tulliano* more, vel *Seneciano*; id verò definiendum differo in aliam diem.

Poſt hæc commendavit illis Apollo: monerent ipſi mino-

(a) *Vide Quintil. lib. 12. cap. 2.* (b) *Sen. Præf. ad Controv.* (c) *Quintil. l. 10. c. 2.*

nores quosdam in Republica literaria, ut *Ciceronis* ex æquo, ac *Senecæ*, aliorumque Scriptorum insignium, ac maximè veterum, et major esset apud ipsos admiratio, et censura longè reverentior. Insurgere nunc passim, qui, cùm censi nondum, aut vix ipsi sint Literatos inter, Literatorum censores agant; in eoque studium omne impendant, ut magnorum virorum accusatione inclarescant. Quod eò sanè videtur improbandum magis, quòd, missis non tot, quin pluribus illorum virtutibus, sola, si quæ in illis sunt, vitia scrutantur; et ea quidem, non ut ipsi caveant, sed ut aliis ostendant. Quid enim hoc aliud videtur esse, quàm pulcherrimo in prato, in quo possis, vel ut Bos herbam, vel Leporem ut Canis quærere, solas malle instar Ciconiæ lacertas invenire; expansisque statim in sublime pennis toti Cœlo spectaculum facere? Sibi quidem in animo esse Censorum hujusmodi et ad impediendam multitudinem, et ad libertatem frænandam, edictum quamprimùm emittere; quo illustrium Scriptorum censuram agere interdictum graviter illi sit, qui vel non aliquid priùs ediderit in eodem genere, Eruditorum laude dignum; vel non aliquod saltem ingenii, judicii, doctrinæque suæ testimonium e Parnaso retulerit. Commendarent interea mirum in modum iis omnibus, quibus arrideret in aliorum dicta, factave inquirere, ut et Aristotelis Logicam accuratè discerent, et sextæ Parti Quintiliani diligenter studerent.

Finem hìc Apollo dicendi fecit, jamque cœtum dimittere parabat; cùm me omnia intensissimis oculis, atque auribus accipientem ex angulo atrii, quò per eburneam portam introductus clàm fueram a seniore Melpomene, per eamdem ipsa portam, ne deprehendi ab ullo pos-

sem,

ſem, extemplo dimiſit. Quidquid in poſterum novi de *Ciceronis*, ac *Senecæ* imitatione Apollo decreverit, id me vobis, N. N., magna cum fide relaturum promitto; ſi per bonam Anum illam, quæ me ſibi, ex quo carminibus dare operam cœpi, commendatiſſimum nunquam non habuit, erudito Literatorum conventui adeſſe rurſus in Parnaſso licuerit.

			Errata	*Corrige.*
Pag. 4	verſ.	20		
& 86	verſ.	24	notis.	Notis.
20	verſ.	31	ſævoſquæ	ſævoſque
46	verſ.	21	devoveam	devoveant
91	titul.		PRESOPOPEJA.	PROSOPOPOEJA.
97	verſ.	30	eoum	Eoum
109	verſ.	1	Threycio	Threjicio, vel
& 112	verſ.	17		Threicio
165	verſ.	10	muſa	Muſa
176	verſ.	4	Clorides,	Chlorides,
183	titul.		Cùm, poſt	Cùm ſe, poſt
194	verſ.	2	triduo	biduo
213	verſ.	11	auctorq; Mavors	auctor et Mars
247	verſ.	23	refert	referet
316	lin.	21	lectione ſuaviſſimè deguſtabam.	lectióne deguſtabam.
346	lin.	6	ore Vitellii	Othonis ore

Pag. 79 tit. ELEGIA SECUNDA *præponatur titulo lineæ ſuperioris. In punctis, et comatis hæc maximè corrigatur.*

Pag. 44	verſ.	1	illam.	illam?
	verſ.	19	Vitrum.	Vitrum,
78	verſ.	25	peremit.	peremit;
79	verſ.	4	fores,	fores.
87	verſ	3	ſaxum	ſaxum.
	verſ.	13	ituris.	ituris
98	verſ	28	mali	mali.
138	verſ.	16	donat,	donat
199	verſ.	4	dedecus.	dedecus?
236	verſ.	1	precor	precor,
241	verſ.	8		
& 256	verſ.	2	habet	habet.
260	verſ.	12	comæ,	comæ.
302	verſ.	19	Cupido,	Cupido.

